

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITE

DOCTORAT
ES-LETTRES

PARIS

THÈSES
EN LATIN
2ÈME SÉRIE

24

1861

NICOLAS
BLAMPIGNON
DESJARDINS
MASTIER











8







UNIVERSITÉS DE PARIS
BIBLIOTHÈQUE DE LA SORBONNE

13, RUE DE LA SORBONNE - 75287 PARIS CEDEX 05
TEL. 01 46 46 30 27 - FAX: 01 46 46 30 44

Inv.

SIGB

Sibi1

SU

Cote

RHFUF 8 = 79-24

1153734070



U
S
C
O
P
Y
R
I
G
H
T



[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



H.F. n. f. 279 (24, 1)
DE INGENIO

ET FORTUNA

GRÆCARUM APUD THRACES COLONIARUM

THESIM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI



PROPONEBAT

B. NICOLAS

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
IN CLAROMONTANO LYCEO PROFESSOR AGGREGATUS

LUTETIÆ PARISIORUM

M DCCC LXI



M.R. 11.7.40 (5011)

ET FORTUNA

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

THEM

1902

1902

DE

INGENIO ET FORTUNA

GRÆCARUM APUD THRACES COLONIARUM

Ex omnibus Græcis coloniis, quæ littus Mediterranei maris sparsim accolebant, nullæ magis quam Thraciæ sese miscuerunt rebus quæ actæ sunt in Græcia ab extremo bello Medico usque ad id tempus, quo Athenas inter et Philippum Macedonum regem egregium certamen exortum est; unde fit ut nonnulla de iis coloniis in lucem collocare, quæ non nova quidem nec inaudita, sed non satis explicata videntur, operæ pretium fore crediderim. Mihi igitur exquirere propositum est :

Quot et quanta commoda Græcis coloniis Thracia obtulerit;

Quam partem in rebus Græciæ administrandis
Thraciæ coloniæ sibi vindicaverint ;

Denique, quibus moribus, quibusque institutis usi
sint Græci, qui Thraciam incolebant.

I.

Thracia, majorem in partem Ægæo mari, et Propontide atque Ponto-Euxino circumdata, duo prospectat freta, per quæ maria illa miscentur, quibusque parvo intervallo ab Asia dividitur : ita, quasi munimentum, subjectam Græciam contra Asiaticas gentes tuetur, ea tamen conditione, ut Græci oram Thraciæ maritimam sua ditioe teneant. Quid hic locorum situs haberet opportunitatis satis apparuit, quum Persæ Dario et Xerxe regibus Græciam invaserunt : nam ex eo die Græci certiores facti se minime sui juris fore, quamdiu Persæ aliquam Thraciæ partem obtinerent, parta apud Salamina et Plateas victoria, eorum præsidia cunctis ex arcibus confestim depulerunt.

E Thracia duæ peninsulæ in Ægæum mare procurrunt : una Chalcidice dicta Græciam supereminet ; altera tam porrecta quam angusta Chersonesus nuncupatur ; qua si quis erat potitus poterat arbitrato suo intercludere transitum ab Ægæo mari ad Pontum-Euxinum, cujus fertiles oræ plerisque Græcis civita-

tibus et præsertim Athenis rem frumentariam suppeditabant. Itaque, Peloponnesio bello et certamine exorto inter Athenienses et Philippum Macedonum regem, circa duas illas peninsulas maxima fuit contentio.

At præter loci naturam ea in Thracia inerant commoda, ut ea regione Græcia carere non posset. Thracia duas in regiones dividitur, superiorem et maritimam, quæ utraque suas opes, suos fructus habebant. In maritima parte erant frumenta, argenti aurique metalla. Etenim, ut primum de frumentis loquar, veteres scriptores propter agrorum bonitatem loca multa et præsertim ingentes duas peninsulas Chalcidicen et Chersonesum celebrant. « In Chersoneso, ait Xenophon, multos portus, multos nobilissimæ fertilitatis agros, atque immensa pabula omni generi pecorum alendo bona reperias (1). » Ex qua Athenienses rem frumentariam ad victum necessariam partim comparabant. Ager Datum (2) propter Strymonium sinum, ingens Dorisci campus Ægæo mari adjacens et flumine Hebro irriguus, Byzantii ager (3) frumentis et frugibus exuberabant.

Metallis vero Thracia maxime fecunda erat : nam, teste Strabone (4), flumina quædam erant aurifera, et agricolæ auri micas aratro sæpe evertabant. Regione tota citra ultraque Strymona et usque ad Pæoniam auri et argenti fodinæ inerant : aliæ, sub Pangæo monte (5) sitæ, mille talentorum quotannis Philippo

(1) Xenoph. Hellen. III, 2 ; Anab. V, 6, 25, ed. Didot.

(2) Strab. VII, 33.

(3) Polyb. IV, 45.

(4) Strab. VII, fragm. 34, edit. Didot.

(5) Diodor. XVI, 8.

Macedonum regi, aliæ ad Prasiæ lacum Alexandro Amyntæ filio talentum quotidie reddebant (1). Occurrebant quoque quæstuosissima apud Datum et Cremastum (2) auraria; fodinas autem omnium copiosissimas apud Scapte-Hylen et in insula Thaso fuisse constat. Herodotus enim montem auriferum ea in insula a Phœnicibus multifariam effossum fereque eversum fuisse auctor est: attamen tanta erat metalli copia, ut postea Thasii octoginta talenta e Scapte-Hyle et interdum totidem e Thasi fodinis elicerent (3).

Superioris Thraciæ saltuosi montes ligneam materiam, picem atque quæcumque sunt ad naves ædificandas necessaria suppeditabant; quæ per fluvios mediis e terris usque ad mare parvo impendio devehantur. His fretæ opibus Potidæa et Olynthus maxime floruerunt; nec fugit Persas, dum Thraciam, licet exiguo tempore, tenuerunt, quanta utilitas cunctis ex illis rebus capi posset: nam quum Histæus Milesius Edonum agrum præmium accepisset a Dario, atque Myrcinam urbem ad Strymona munire cœpisset, Megabazus Thraciæ præfectus Susam, nulla interposita mora, petiit, regemque sic allocutus est: Quid fecisti, domine? qui fit ut prudenti Græco licentiam tenendi urbem dederis in Thracia positam, ubi suppetunt materiæ navibus et remis conficiendis, argenti et auri metalla, quamque multi

(1) Herod. V, 17.

(2) Xenoph. Hellen. IV, 8.

(3) Herod. VI, 46.

Græci et barbari eum ducem sequi parati celebrant? Rex ea ratione motus Histiaëum dono privavit (1).

Itaque, ut paucis verbis contraham, proceræ sylvæ, sinuosum littus navalibus et emporiis constituendis aptum, frumentarii campi, metalla, eæ erant opes, quæ industrias Græciæ gentes in Thraciam allegerunt: in ditionem autem redigere maritimam oram, colonias condere, cum incolis commercia inire, unde Græcis magnus quæstus eveniret, parvi laboris erat; nam, ut Herodoti testimonio utar: « Gens Thracum secundum Indos omnium maxima erat: quæ si aut unius imperio paruisset, aut idem sensisset, inexpugnabilis fuisset, et omnium gentium multo validissima: sed quia id nimis illis arduum erat, et nulla ratione contingere poterat, ideo imbecilles erant (2). »

Jampridem Pelasgi sub Atho monte (3) et in Samothracia, Phœnices, duce Thaso (4), in insula, quæ inde eo nomine appellata fuit, colonias condiderant, quum Græciæ quædam civitates septimum circa sæculum a. C. n. (5) in Thraciam colonias mittere cœperunt, imprimis Chalcis, Eretria, Megara, Corinthus tum Græcas inter urbes ditissimæ.

Coloniæ Eubœensium et Andriorum. — Chalcis in Græcia princeps æs et extraxit et elaboravit; ex ea exportabatur quicquid æris requirebant arma, ædificiorum ornamenta, divina cultus supellex. Chal-

(1) Herod. V, 23.

(2) Herod. V, 3.

(3) Thucyd. IV, 109, edit. Didot. — Mela, II.

(4) Herod. II, 44; VI, 47.

(5) Raoul-Rochette, *Hist. des Colonies grecques*, t. III, p. 202.

cidenses, ut olim Phœnices, exhausto monte Libano, alia metalla trans mare quæsiverunt, sic, participibus cæteris Eubœæ urbibus, et iis, qui adversam Bœotiae oram incolebant, maritimos cursus, condendasque colonias susceperunt ad supplendam æris deficientiam. Progressi in magnam illam peninsulam, quæ Thraciæ tanquam immensa rupes objacet, Chalcidenses in Sithonia regione sine dubio (1) Toronam primam sedem habuerunt, ex quo tanquam capite defluerunt circiter triginta coloniæ (2), quæ iisdem legibus et eodem jure utebantur (3); pleræque autem sunt ignotæ. Sithonia Herodoti tempore (4) Græcas civitates, Toronam, Galepsum, Sermylam, Meczybernam, Olynthum habebat. Torona (5), Sermyla (6), Olynthus Chalcidicæ genere erant civitates : postrema quidem primum a Thracibus Bottiæis condita fuit ; sed anno 480 a. C. n. vir Persa Artabazus, quem Xerxes Thraciæ præfecerat, Chalcidenses Olynthum deduxit (7), et, Græcis brevi prævalentibus, barbari incolæ nullo in numero fuerunt. Cæteræ autem civitates unde profectæ sint, incertum est. Assera (8) et Tinde (9) a Chalcide

(1) E. Curtius, *Griechische Geschichte*, I, p. 349.

(2) Strab. VII, fragm. 11.

(3) Aristot. Polit. II, c. 12.

(4) Herod. VII, 122.

(5) Thucyd. IV, 110. In extrema Sithoniæ parte, secundum Kiepert tabulam, Torona erat sita.

(6) Thucyd. I, 65. In angusta parte Sithoniæ Sermyla erat posita.

(7) Herod. VIII, 127. In sinu Toronaico sita portum Meczybernam Olynthus auctore Strab. VII, fragm. 29 habebat.

(8) Steph. Byz. v. Assera. Situs incertus.

(9) Steph. Byz. v. Tinde. — Plinio (IV, 18), et Solino (c. X) auctoribus, propter Maronæam sita erat urbs Chalcidica, quam Tiridem vocant; haud scio an fuerit eadem quæ Tinde.

originem ducebant; erat quoque, auctore Thucydide (1), pars quædam gentis Chalcidicæ exigua apud urbes circa Athon positas, Acrothoon (2), Olophyxum (3). Thyssum (4), Cleonas (5), Dium (6), quæ a promiscuis barbarorum bilinguorum gentibus habitabantur: pars autem maxima erat Pelasgica.

Eretrienses, qui tum conchyliis colligendis et imprimis navigando florebant (7), Methonam in Thermaico (8) sinu, et Menden in Pallenes peninsula (9) condiderunt. Mende Eiones in Pieria fundamenta jecit (10). Cæteræ Pallenes urbes erant Potidæa (11), Corinthiorum colonia (an. 627 a. C. n.), Aphytis (12), ex qua Chytropolis orta est (13), et Sane (14), for-

(1) Thucyd. IV, 109.

(2) Plin., IV, 17. — Auctore Mela (II, 2), Acrothoon in Atho vertice erat posita.

(3) Scylacis Periplus, 66. Strab. VII, fragm. 33.

(4) Scyl. Perip. 66. Strab. VII, fragm. 32. Plin. IV, 17.

(5) Scyl. 66.

(6) Scyl. 66. Herod. VII, 22. Strab. VII, 33. St. Byz. Ex iis liquet sitam fuisse Dium ad Acten quam vocant; ex Scylacis loco eandem collocandam in ora occidentali.

(7) E. Curtius, *Griech. Gesch.*, I, 347.

(8) Plutarch., *Quæst. Græc.*, c. 11.

(9) Thucyd. IV, 123. Plin. IV, 17. Mende erat in occidentali Pallenes ora haud longe a promontorio Posidio. *Vid.* Kiepert's tabulam.

(10) Thucyd. IV, 7.

(11) Strab. VII, fragm. 25. Scymni orbis descriptio, v. 628, 629. — Auctore Scyl. 66, Potidæa isthmum medium obtinebat.

(12) Scyl., § 66. Strab. VII, fragm. 27. — Pallenes urbes, auctore Strabone, ab Eretria profectæ erant; quas Herodotus, VII, 123, numero octo fuisse dicit, Potidæam, Aphytim, Neapolim, Ægam, Therambum, Scionen, Menden, Sanen: quod si Strabonis sententiam ut Raoul-Rochette, t. III, p. 202, probes, tum Potidæam et Scionen a Corinthiis et Achivis denuo frequentatas esse conjeceris: quod quidem aliunde non novimus.

(13) Theopompi Frag., l. XXII. Thraciæ castellum auctore St. Byz. erat Chytropolis.

(14) Strab. VII, fragm. 27.

tassis Eretriensium coloniæ, Therambus (1), Scione ab Achivis, capta Ilio, remeantibus posita (2). Eretrienses etiam in Thracia Scabalam (3), Pharbelum (4), Dicæam (5) condiderunt.

Andrii, quibus imperabant Eretrienses (6), Chalcidicen quoque et Thraciam Chalcidicæ finitimam occupaverunt, quum conderent Sanen in Acte (7), et propter Strymonium sinum Acanthum (8) et Stagira (9) an. 655 a. C. n. (10) et Argilum (11).

Denique aliquot etiam civitates Græcas habebat Chalcidica Thracia, Æneam (12) in Thermæo sinu positam, Apolloniam, fortasse Chalcidensium coloniam, non longe a Bolbe lacu (13), Arethusam (14) eundem prope lacum, Alaptam (15), Charadrum (16).

(1) Herod. VII, 123. Apud Scyl. 66, Thrambeis. Kiepertus et Forbigerus urbem collocant ad Canastræum promontorium.

(2) Thucyd., IV, 120. Mela, II, 2.

(3) Steph. Byz. v. Scabala. Rangabé, *Antiquités helléniques*, I, p. 305, inscript. 134.

(4) Steph. Byz. v. Pharbelus. — Situs incertus.

(5) Rangabé, *Antiq. hellén.* I, p. 293. inter Græcas vectigales civitates in tabulis inscriptas, apud *Antiquit. hellén.*, sunt et Dicæa propter Abdera et Dicæopolitani Eretriensium coloni, quorum situs est incertus.

(6) Strab. X, 1, 10.

(7) Thucyd. IV, 109.

(8) Scymn., v. 647. — Strab. VII, fragm. 31.

(9) Thucyd. V, 6.

(10) Raoul-Rochette, III, p. 211, ex Eusebii Chron. II, p. 121.

(11) Thucyd. IV, 103. Raoul-Rochette, t. III, p. 209, fere omnes civitates in Acte sitas Andriorum colonias esse dicit; quarum tamen originem locus Thueydidis supra dictus satis explanat.

(12) Scyl. 66. — Strab. VII, fragm. 21. Urbem ab Ænea ibi mortuo nomen nactam esse Theon apud St. Byz. fabulatur.

(13) Scyl. 66. — Strab. VII, fragm. 21.

(14) Scyl. 66. — Strab. VII, fragm. 36.

(15) Scyl. 66. — Situs incertus.

(16) Scyl. 66. — Urbs in Acte sita ex Reichardi tabula. Raoul-Rochette, t. III, p. 209, Charadri originem ad Chalcidenses sine auctoritate refert.

Coloniæ Thasiorum et Atheniensium. — Ob metalla exercenda ut Eubœenses in Chalcidicam peninsulam transierant, sic postea Athenienses et Thasii in eam Thraciæ oram, quæ interjecta est inter Chalcidicam peninsulam et flumen Nestum. Nam anno 478 a. C. n. Cimon ab Atheniensibus missus, qui Persas Thracia expelleret, occupavit Eionem in Strymone (1) et quidquid erat Persarum in eadem ora (2). Athenienses coloni concurrerunt; uno et eodem tempore decem millia hominum deducti sunt Novem-Vias, quæ distant quinque et viginti stadia ab Eione: iis tanquam portu colonia usa est.

Montis Pangæi fodinæ Thasiorum erant: Thasum insulam primum Phœnices incolebant; deinde Parii occupaverunt (3). Thasii autem condiderant in adverso littore Galepsum (4), Æsymen (5), Datum (6), Strymen in parvo flumine, quod Lissus vocatur, ultra Nestum (7).

Quum Thasii auri fodinas in ea regione tenerent, eas Athenienses, ut partem regionis, unde pepulissent Persas, vindicaverunt. Thasii prælio navali victi et obsessi auxilium a Lacedæmoniis petiere, eosque

(1) Thucyd. I, 98.

(2) Corn. Nep., *Vita Cimonis*.

(3) Thucyd. IV, 104. Strab. X, 5, 7. Scymn., v. 659.

(4) Thucyd. IV, 107. Strabo VII, fragm. 33, Galepsum non longe a Strymone esse sitam dicit.

(5) Thucyd. IV, 107. Scymn., v. 656. Plin. IV, 18.— Æsyme prope Galepsum ad orientem versus erat sita ex Kieperti tabula.

(6) Scyl. Perip. 67. Datus, ut vicinæ urbes Galepsus et Apollonia, a Philippo in ditionem redacta ac deinde ab eodem novis incolis duce Callistrato frequentata est (ann. 358 c.); is portus erat Philipporum a quibus distabat X vel XII millia.

(7) Herod. VII, 108.

hortati sunt, ut irruptione in Atticam facta, opem sibi ferrent. Illi vero, qui maritimam Atheniensium potentiam in dies crescentem, coloniasque florentes iniquo animo ferebant, se hoc facturos promiserunt et jam facturi erant, quum terræ motu impediti sunt. Thasii, tertio obsidionis anno, mœnia diruere, naves tradere, continente metallisque cedere coacti sunt (1). Jam vero Athenienses in Thraciam interiorem pervadere studebant. Etenim, quum bellum adversus Thasios gereretur, coloni, qui oppidum Novem-Vias appellatum tenebant, in mediterranea loca progressi sunt; sed apud Drabescum ab universis Thracibus, quibus infesta erat ea urbs, sunt profligati (2). Athenienses Cimonem miserunt, qui acceptam a barbaris injuriam ulcisceretur; at quum res male cessisset, quinquaginta talentis mulctarunt. Etenim qui minus prospere rem gesserunt apud Thraces, iis nunquam ignoverunt Athenienses. Pericle rem publicam gerente, Athenienses imperii fines in Thracia protulerunt; etenim agri mille colonis apud Bisaltos divisi sunt: rursus etiam undetricesimo anno post cladem apud Drabescum acceptam, Hagno Niciæ filius, expulsis Edonis, ubi fuerat oppidum nomine Novem-Viæ, ibi urbem condidit, quam Amphipolim vocavit (3). Eæ urbes loci opportunitate fretæ paucos intra annos auctoribus suis magno fuerunt præsidio. Per Strymonem enim, qui saltuosam Thraciæ regionem præterfluit, lignea materia et pix parvo impendio ad urbem Eionen in fluminis ostio sitam veniebant; eandem per

(1) Thucyd. I, 101.

(2) Thucyd. IV, 102.

(3) Thucyd. IV, 102.

viam omnia, quæ Atheniensium officinæ singulari artificio elaborabant, Amphipolim in urbem mediterraneam importabantur. Sic unam pro emporio habebant Athenienses, alteram pro portu. Agnoneam propter Amphipolim circa idem tempus iidem sine dubio condiderunt (1).

In eadem ora Thraciæ maritima erant duæ civitates, quibus Græcam originem attribuere licet: Phagres haud longe a Strymonis ostio sita (2), et Apollonia (3) Galepsum inter et Æsymen interjecta: unde autem profectæ sint, incertum est.

Ea ora, quæ est inter Nestum et Hebri ostium, non ab una maritimarum Græciæ urbium tenebatur, sed divisa erat inter colonos diversæ originis.

Nam anno 656 a. C. n. Clazomenii, duce Timesia, ad Nestum condiderunt Abdera (4), quæ ad exiguum tempus duraverunt, cum Thraces Timesiam expellerent. At anno 541 a. C. n. Teii, quum Persarum dominationem fugerent, instauraverunt urbem quæ jam inde floruit (5).

Maroneam ad Ismarum condidit, auctore Diodoro, Maro (6) unus ex Osiridis sociis, quum is bellum

(1) Steph. Byz. V. Agnoneam.

(2) Scyl. 67. Thucyd. II, 99. Strab. VII, fragm. 33.

(3) Strab. VII, fragm. 33.

(4) Herod. I, 168. — Apud St. Byz. legitur: « Urbs Thraciæ ita ab Erimi filio Abdero dicta, quem ab Hercule adamatum Diomedis equæ divulserunt, ut Hellanicus aliique referunt. » Aliter Mela, II, 2, qui urbem de Abdera sorore Diomedis nominatam dicit.

(5) Strab. VII, fragm. 43. — Auctore Strabone, primi incolæ fuere Bistones Thraces quibus Diomedes imperabat; postea sedem eo Teii transtulerunt. — Strab. XIV, 30. Scymn., v. 670.

(6) Diod. I, c. 20.

Thracibus intulit. At rectius fides adhibetur Herodoto Græcam eam esse urbem dicenti (1). Chii eo sedem transtulerunt circa annum 544 av. C. n. (2).

Samii, qui post Pelasgos Samothracen tenuerunt insulam, condiderunt in continenti Mesambriam (3) et Salen (4). Herodotus refert fuisse etiam inter Græcas hujus regionis urbes Dicæam (5) prope Bistonim lacum, et Pistyrum mediterraneam urbem inter Nestum et Strymonem sitam (6).

Coloniæ Æolum. — Ultra Hebrum rursus occurrunt investiganti Athenienses coloniæ; Chersonesum, quanquam haud levi momento jampridem Athenienses aestimabant, occupaverant tamen aliæ aliquot Græcæ urbes et imprimis Æoles. Ad Hebrum ostium urbs Ænus (7) Æoles primum ex Alopeconneso, deinde e Mytilene et Cuma incolas habuit. Cardia (8) et Limnæ (9) in Melane sinu positæ Milesiorum erant coloniæ. At Æoles, qua parte Chersonesi desinebat Melas sinus (10), urbem (11) Alopeconnesum,

(1) Herod. VII, 109.

(2) Scymn., v. 676.

(3) Herod. VII, 108.

(4) Herod. VII, 59.

(5) Herod. VII, 109. Strab. VII, fragm. 46.

(6) Herod. VII, 109.

(7) Scymn., v. 696. Strab. VII, fragm. 51. — Ab Ænea conditam Ænum fabulatur Mela, II, 2. — Herod. VII, 58.

(8) Scymn. 698. Strab. VII, fragm. 51. Is Cardiam a Milesiis et Clazomeniis conditam esse tradit.

(9) Scymn. 706. — Limnas a Milesiis condita ex Anaximene Lampsaceno etiam Strabo tradit XIV, 6. Præterea Limnarum mentio minus tamen accurata exstat apud Steph. Byz.

(10) Strab. VII, fragm. 51. Fragm. Vatican.

(11) Scymn., v. 706.

iidem Æolium (1) et Æoles e Lesbo (2) Madytum et Sestum ad Hellespontum condiderant.

Athenienses autem primas in Chersoneso sedes posuerunt anno 556 a. C. n. Tum Miltiades, Cypseli filius!, petentibus ipsis Doloncis, qui ab Apsinthiis lacessebantur, assumpsit ex Atheniensibus eos qui rei participes esse volebant, et ad Chersonesum profectus, ubi locum tenuit, ab iis, qui deduxerant, tyrannus creatus est. Is ante omnia Chersonesi isthmum ab urbe Cardia ad Pactyen muro præsepsit, ne Apsinthii regionem infestare possent (3); deinde finitimis gentibus et imprimis Lampsacenis bellum intulit: a quibus quum captus esset, rogante Cræso Lydiorum rege, cujus amicitiam sibi conciliaverat, libertatem recuperavit: paulo post obiit. Stesagoras ejus nepos bona potestatemque suscepit. Quo mortuo, Athenienses jam certiores facti quantam e Chersoneso utilitatem capere possent, juniorem Miltiadem coloniae præfecerunt. Is cum delecta manu classe Chersonesum profectus (nam Apsinthii insulam infestare rursus inceperant), brevi tempore, disjectis barbarorum copiis, tota regione potitus, loca castellis idonea munivit et multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocavit (4). Tum Cardia (5), Pactye (6),

(1) Steph. Byz. v. Æolium. — Curtius, I, p. 131-134.

(2) Scymn., v. 709, 710. — Sesti Madytique originem præter Scymnum indicat Eustathius ad Dionys. 513: « Sestus Lesbiorum colonia, item Madytus, ut tradit Strabo in libri septimi parte deperdita. »

(3) Herod. VI, 35, 36, 37.

(4) Corn. Nep., *Vita Miltiadis*.

(5) Scymn., v. 699. Strab. VII, 51.

(6) Scymn., v. 711, 712. Scyl. 67.

Crithota (1) ad Hellespontum sitæ, et forsàn Æolium (2), et Elæus (3) in extrema Chersonesi parte posita ab Atheniensibus frequentata sunt. Miltiades vero, ut adminiculum apud Thraces sibi pararet, Hegesypilam regis Olori filiam uxorem duxit. Ipse erat inter socios dignitate regia, quamvis carebat nomine, neque id magis imperio quam justitia consecutus; neque eo secius Atheniensibus præstabat. Chersoneso tali modo constituta, Lemnum et cæteras insulas, quæ Cyclades nominantur, pari felicitate sub Atheniensium redegit potestatem (4). At quum Persarum rex Darius, ex Asia in Europam exercitu trajecto, Scythis bellum inferre decrevisset, Miltiadem et Græcarum civitatum principes secum duxit, eosque pontis, quem in Istro fecerat, custodes reliquit. Mox allato nuncio male rem gerere Darium, premique ab Scythis, Miltiades hortatus est socios, ut, ponte rescisso, a fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ captarent. Sed Histæus Milesius ne res conficeretur obstitit. Hujus cum sententiam plurimi essent secuti, Miltiades non dubitans, tam multis consciis, ad regis aures consilia

(1) Scymn., v. 711, 712. Ephori Fragm. l. IV. — Suidas.

(2) Steph. Byz. v. Æolium. Theopomp. Fragm. l. XXIII.

(3) Scymn., v. 707, apud quem hic coloniam Phorbas condidisse putatur, de quo Mueller hæc: « Phorbantem novimus archontem perpetuum (Pausan. VI, 19, 13) atque heroem Phorbantem, qui Theseum in expeditione contra Amazones comitatus esse dicitur (Polæmon. Fr. 55, t. III, p. 132). Nescio an hunc ipsum Scymnus indicaverit, ideoque pro more Græcorum ad remotam antiquitatem retulerit coloniam, quæ probabiliter ad ea tempora demum pertinet quibus Cardia, Crithota, Pactye ab Atheniensibus frequentatæ sunt. Cæterum Chersonesi urbs Elæus ab Hegesistrato Ephesio condita, si fides habenda Pseudo-Plutarcho in Parallelis c. 41, ubi testem adducit Pythoclem in Georgicis. »

(4) Corn. Nep., *Vita Miltiadis*.

perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas remigravit. Tum Chersonesus cæteræque coloniæ venerunt in Persarum ditionem; quas recuperandi nulla Atheniensibus cura fuit, quamdiu Græcia ab Darii et Xerxis exercitibus occupata est; sed parta apud Salamina victoria, non quieverunt donec Chersonesum recepissent: Xanthippus enim Sestum subegit, Cimonque Persas tota peninsula eiecit. Tum Athenienses hoc egerunt ut imperium confirmarent coloniis deducendis Alopeconnesum (1) et Sestum (2), quam Thucydides appellat totius Hellesponti præsidium et custodiam (3), atque etiam ultra peninsulam, Doriscum (4) et Serrhium (5) in eam partem littoris quæ Doriscus vocatur, præter utramque Hebri ripam, qua mare influit, tum Bream (6) et Heræum (7) in Propontide. Nam ita Athenienses libera navigatione Propontidis, qua advehebant annonam, utebantur, ut Chersonesum tenerent.

Coloniæ Samiorum et Megarensium. — Littora Propontidis et Bospori magnam in partem Samiorum et Megarensium erant: nam Polycrate regnante (anno 524 a. C. n.), quo tempore maritima potentia maxima floruerunt, Samios crediderim colonias in littora Propontidis deduxisse, Bisanthen (8), Heræum,

(1) *Etymologicon magnum.*

(2) Diod. XI, 37.

(3) Thucyd. VIII, 62.

(4) Demosth., *de Fals. Leg.*, § 156.

(5) Demosth. Philipp. III, § 15.

(6) Rangabé, t. II, p. 403, 404, inscript. 785 b. — Steph. Byz. — Theopomp. Fragm. I. XXIII.

(7) Demosth. Olynth. III, § 4.

(8) Herod. VII, 137. — Bisanthen Herodotus dicit sitam esse in Hellesponto, Ptolemæus, III, 2, et Mela, II, 2, in Propontide. Quam varie-

Perinthum. Perinthus quidem, auctore Ammiano Marcellino, Herculem conditorem habuit; at numismata Perinthis tum præferunt incolas nomine Ionios, tum habent Junonis caput cultæ a Samiis præcipuo honore deæ, quod per se solum firmat Scymni dictum (1). Megarensium autem coloniæ in parte Propontidis superiore erant. Circa annum 675 a. C. n. Selys condidit urbem, quæ ejus nomine vocata est Selymbria: Bria autem vox Thracum lingua urbem significat (2): et anno 658 a. C. n. Byzas in Bosporo condidit Byzantium, urbem maximarum rerum gravidam (3).

Coloniæ Milesiorum. — Littora autem Ponti-Euxini a Bosporo ad Istrum compleverant coloniis Milesii. Megarenses tamen condiderunt circa annum 497 a. C. n. Mesembriam, primum Menebriam dictam de Mena conditore (4), prope Hæmi radicem, qua parte Ponto-Euxino adjacet: ex qua urbe duxerunt

tatem levissimam, ut sentit Raoul-Rochette, III, p. 427, non est quod mirere, recordatus veteres Propontidem et Hellespontum uno eodemque nomine sæpe comprehendisse; quod quidem a Strabone, VII, fragm. 57, firmatur: « Alii enim Propontidem totam Hellespontum vocant; alii partem Propontidis quæ est intra Perinthum. »

(1) Raoul-Rochette, t. III, p. 362. Ammian. Marcell., XXII, c. 8. Eckel, *Doct. numismat.*, II, p. 39. Scymn., v. 715. — Strab. VII, fragm. 55. — Plutarch., *Quæst. gr.*, c. 56. Dixit Raoul-Rochette, t. II, p. 361, Heracleam in Propontidis ora sitam referendam esse ad Perinthum, qua postea Heraclea appellata fuisset. Quod nihili esse e Ptolemæo, III, p. 217, et Scylace, 67, et hodierno loco Erecli abunde patet.

(2) Strab. VII, 6.

(3) Justin. IX, c. 1. Strab. VII, c. 6, 1. Scymn., v. 717.

(4) Strab. VII, c. 6, 1. — De tempore inter Herodotum et Scymnum non constat; nam Herodotus, VI, 33, Byzantios et Chalcedonios, certamine quod inter Darium et Ionios exortum est, urbibus relictis (497 a. C. n.), in interiora Ponti-Euxini fugisse, ibique Mesambriam condidisse tradit; Scymnus autem, v. 741, Chalcedonios et Megarenses eam urbem condidisse dicit, quum Darius contra Scythas arma movisset, ann. 513 a. C. n.

originem Naulochus et Bisone eodem in littore sitæ (1) ad Boream versus. Callatis, a Tomibus cclxxx stadia distans (2), ab Heraclea Pontica Megarensium colonia (3) circa annum 580 a. C. n. (4) profecta erat (5); sic memorant Xenophon, Scymnus, Memno, Etymologicon magnum, Diodorus. Ante Heracleotas locum inesse Milesios nonnulli putant, si quidem Mela (6) Callatim a Milesiis deductam tradit; quod quidem non certum est. Heracleam in Mariandynis sitam aiunt a Milesiis esse conditam, ut verbis Strabonis utar, qui vero fuerint illi, aut unde profecti ignoratur (7). Milesii autem annona, piscatibus, lanis quas emebant a pastoribus Thraciæ et Scythiæ in Pontum-Euxinum ducebantur; condiderunt inter Bosporum et Istrum Apolloniam (8), circa annum 609 a. C. n. Anaximandro philosopho duce (9), ex qua originem duxerunt Anchiæ et Thynias (10), tum Odessum, tempore quo

(1) Strab. VII, c. 6, 1. Scymn., v. 758.

(2) Sic Strab. VII, c. 6; Arrianus autem (Perip. Pont. Eux.) 300 stadia fuisse tradit.

(3) Xenoph. Anab. VI 2, 1., Diod. XIV c. 31.

(4) Scym., v. 764. V. Spruneri tabulam.

(5) Scym., v. 762. Memno, c. 21, apud Phot. Narr. XXII. Etym. m. 486, 41.

(6) Mela, II, 2.

(7) Strab. XII, c. 3. — Strabo tamen ad Milesios Heracleæ originem referre in hoc loco videtur.

(8) Scym., v. 730-734. Strab. VII, c. 6. Steph. Byz. Ælian. Hist. III, 17.

(9) Ælianus et Scymnus de tempore non consentiunt: nam ex vulgari temporum ratione, Anaximander auctore Apollodoro natus est ann. 610 a. C. n. Apollonia autem auctore Scymn., v. 730, annis fere quinquaginta ante Cyri regnum vel circa ann. 609 condita est. Fieri potest ut Apollodorus Anaximandrum quoque sicuti Democritum et Anaxagoram (v. K. Hermann, *Disp. de Philos. Ionicorum atatibus*, Gotting. 1840) iusto juniorem fecerit.

(10) Strab. VII, c. 6. — Apud Strabonem Thynias est Apolloniata-

Astyages Mediam (1) regebat, tum circa annum 592 a. C. n. Tomes (2), tum ad Istri ostia Istrum, quando exercitus Scytharum barbarorum Cimmericos e Bosporo fugientes persequens in Asiam transiit (3), vel circa annum 634 a. C. n. Cruni autem Bisonem inter et Odessum siti mixtos Græcos habebant incolas, quorum in numero erant sine dubio complures Milesii (4). Denique numismata Deulti in urbe Salmydesso finitima reperta, quum præferant Apollinem (5) deum præcipuo honore a Milesiis cultum, demonstrant recte ei urbi Miletum originem assignari (6).

In illis Thraciis coloniis condendis præcipuæ fuerunt partes Eubœensium, Milesiorum, ante omnes Atheniensium.

Apud Græcos coloniæ brevi post tempore civitatum, unde profectæ erant, jugum exuebant. Athenienses autem, qui Thraciam incolebant, quum jus et nomen civium haberent, patriæ erant obnoxii: interdum prius nomen servabant, plerumque novam

rum regio; sed Plinius, IV, 18, Thyniadem tanquam oppidum memorat. De Anchiale V. Bœckh., *Corp. inscr.*, t. II, p. 76.

(1) Scymn., v. 748; Strab. VII, c. 6; Plin. IV, 18; Raoul-Rochette, III, p. 389; Odessus hodie Varna. V. Bœckh. *Corp. inscr.*, t. II, p. 79.

(2) Scymn., v. 765.

(3) Scymn., v. 770.

(4) Scymn., v. 757.

(5) Raoul-Rochette, t. III, p. 389.

(6) Arrian. *Peripl.* XXXV. — Hi sunt auctore Arriano situs civitatum græcarum quæ Ponti-Euxini littus ab Istro ad Bosporum accolebant: ab quinto Istri ostio ad Istriam 500 stadia; inde ad Tomes, 300; inde ad Callatim, 300; inde ad Carum portum, 180; inde ad Tetrisiadem, 120; inde ad Bizum, 60; inde ad Odessum, 200; inde ad Hæmi radices, 360; inde ad Mesembriam, 30; inde ad Anchialen, 70; inde ad Apolloniam, 180. — Arrianus Thyniadem tanquam littus memorat et Deultum omittit.

appellationem sibi vindicabant, et dicebantur Chalcidenses et Amphipolitani. Omnia quæ ad religionem spectant patriis regebantur institutis (1). Coloni æque ac cives indictionem solvebant et stipendia tolerabant. Sed ad rationem belli gerendi duces ex Atheniensibus accipiebant, eorumque lites Athenis dijudicabantur. Cæteræ autem Græcæ coloniæ, mox omni tutela destitutæ, postquam sui juris esse cœperant, aliæ post alias in potestatem Atheniensium ceciderunt. Ab eruditissimo viro Bœkchio præclare explanatur (2) quo pacto id evenerit; nam quum et intemperantia Pausaniæ et justitia factum esset Aristidis, ut omnes fere civitates et coloniæ Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent sibi, quo facilius repellerent, si forte bellum illi renovare conarentur, electus est Aristides, qui constitueret quæ civitas pecuniam, quæ naves præstaret. Ejusquidem arbitrio, quadringenta et sexaginta talenta quotannis Delum conferebantur; et in æde de re communi consulebatur. At, ut fere fit, æquitas fœderis non diu mansit. Athenienses enim, quum primum a sociis milites navesque exegissent, postea se intra jus suum non continuerunt; quod profectum est a Cimone, qui, acceptis navibus et pecunia, socios a re militari abhorrentes mercatui et

(1) Rangabé, t. II, p. 402-404.— Fragmentum fœderis inter Athenas et Bream facti, vel decreti quod ad coloniæ conditionem pertinet, et initio quinti sæculi a. C. n. factum esse videtur. — Ex quo videmus Athenienses colonos in novo domicilio earundem tribuum fuisse quarum in patria erant, eosdem deos quos in patria coluisse, Athenarum tutela adversus injurias frui debuisse.

(2) Bœckh, *Æconomie politique des Athéniens*, t. II, p. 105 (trad. Laligant).

rebus rusticis indulgere æquo animo tulit. Ex quo factum est ut socii ad tolerandum militiæ laborem hebetes fierent, Atheniensibus vires et superbia crescerent. Jam vectigal sociis est imperatum, et quum ærarium commune Athenas esset translatum (1), Athenienses sociorum pecunia non modo ad utilitatem suam, sed etiam ad libertatem eorum opprimendam usi sunt. Si quos ad defectionem hæc tanta molestia adduxit, eos sævissime tractaverunt : sic Thasii et Byzantii sædus illud iniquum solvere ausi Athenarum in ditionem redacti sunt. Jam tunc sociorum conditio omnino mutata est : alii vectigales, ita tamen, ut libertatem retinerent non re, sed nomine, tantum de pace et bello consulebant, in consiliisque semper præstabat Atheniensium sententia ; alii subditi non solum vectigal pendebant, sed etiam vel milites vel nautas suppeditabant, et oppidis, cum gere-retur bellum, duces et præsidia accipiebant : quæ quum ita fuerint, intra minus quadraginta annos, fere omnes coloniæ in Thracia sitæ, vel ut Aristidis pacto vectigales, vel ut subditæ, Atheniensium in potestate tenebantur, quorum imperium, exeunte quinto sæculo a C. n., a Chalcidice usque ad Chersonesum patebat.

(1) Sainte-Croix, *de l'Établissement et du sort des Colonies grecques*, p. 162. — Tributa tempore Aristidis summam 460 talentorum conficiebant ; initio belli Peloponnesii, 600 ; mortuo Pericle, 1000 ; postea 1800. Athenienses instituerant quæstores qui pecunias exigenterent, phylarchos qui operam darent ut socii fidem præstarent et imperata facerent.

II.

Coloniæ illæ, ex quo tempore sub Atheniensium potestatem sunt redactæ, magnam partem in rebus Græciæ administrandis sibi vindicaverunt. Hoc palam fuit in bello, quod inter Spartam et Athenas exarsit, quo per septem et viginti annos tota Græcia exusta est. Thracia ad fortunam potentiamque Atheniensium, quorum emptæ magis erant copiæ quam domesticæ, multum valebat (1). Quum enim Athenienses imprimis re navali pollerent, non solum a coloniis, quæ in Thracia erant, pleraque ad naves ædificandas necessaria, sed etiam a sociis naves et vectigalia, in quibus Pericles docebat reipublicæ potentiam esse sitam, accipiebant (2); præterea ipsi Byzantio et Sesto potiti tributum a navibus onerariis in frumentarias oras Ponti-Euxini cursum tenentibus exigebant, aditumque illius maris intercludere (3) ar-

(1) Thucyd. I, 121.

(2) Thucyd. II, 13.

(3) Rangabé, *Antiquités helléniques*, t. II, p. 317, inscript. 250. — Decretum Methonæ gratia factum. Athenienses, ut retinerent in amicitia socios, qui sibi maximam utilitatem afferrent, civitates et tributo

bitratu suo poterant; itaque, imminente bello, Thraciæ rebus magnopere attenderunt.

Potidæa, licet a Corintho originem duceret, vectigal Atheniensibus pendebat : quum quidem esset usu opportunissima ad res in Thracia obtinendas (1), eam muros demoliri, obsides dare, Corinthios magistratus expellere nec in posterum recipere jusserunt, veriti ne sollicitata deficeret, cæterosque socios ad defectionem secum traheret; quumque illa societatem cum Chalcidensibus et Bottiæis fecisset atque legatos, qui a Spartanis peterent auxilium, misisset, Athenienses urbem oppugnaverunt, nec Peloponnesiorum irruptio in Atticam facta, nec pestilentiæ calamitas eos ab obsidione deterruit; quin etiam, Potidæa in ditionem accepta, Athenæ ducibus crimini dederunt, quod injussu compositionem fecissent; existimabatur enim illos ulla sine conditione urbe potiri potuisse. Postea urbem colonis auxerunt (2). Thucydides, de rebus Thraciæ locupletissimus auctor, rempublicam ad obsidionem duo millia talentorum impendisse, eamque expeditionem non minus esse mirandam ob navium et gravis armaturæ militum numerum, quam quæ vel contra Mitylenum, vel contra Siciliam postea sit instructa, non semel commemo-

levabant et sinebant exportare certum frumenti modum Byzantio, ex urbe quæ Græciæ et Ponto-Euxino proxima præcipuum hujus mercaturæ emporium erat. Ita crediderim intelligi oportere decretum, quod ad Methonam pertinet, quam avertere Atheniensium intererat ab amicitia regis Perdiccæ. Nam hoc decreto Methonam tributo levant, eique dant licentiam certum medimnorum numerum Byzantio exportandi. — Simile decretum fecerunt Aphytensium gratia. (Inscript. 274).

(1) Thucyd. I, 57.

(2) Thucyd. II, 70.

ravit (1), ut intelligeretur quanti pacatam esse Thraciam Atheniensium referret : quod etiam apparet in consiliis et astu, quibus ad conatus Macedonum infringendos, Odrysasque societate sibi adjungendos usi sunt, tempore quo bellum mœnibus erat illatum.

Perdiccas, Macedonum rex, ab Atheniensibus jam diu alienus erat, quod Philippum fratrem eundemque hostem patrocinio tutarentur. Itaque Potidææ rebellanti subvenerat, civitatesque Chalcidicæ in defectionem illexerat. Sed ab oriente Sitalces Odrysarum rex cunctas fere Thracum gentes ad id tempus liberas suo addiderat imperio, quod ab urbe Abderis ad Istrum et a Ponto-Euxino ad Strymona patebat, omnium quæ vigeabant in Europa intra sinum Ionium et Pontum-Euxinum, teste Thucydide, maximum pecuniarum reditu, et beata cunctarum rerum abundantia : tributum enim, quod ex toto barbarorum agro et ex Græcis civitatibus colligebatur, quadringentis ferme talentis valebat (2).

Athenienses Nymphodorum Abderitam, cujus sororem Sitalces in matrimonium duxerat, virum magna auctoritate apud eum florentem, licet prius judicassent hostem, tamen hospitem publicum fecerunt, ejusque opera Odrysarum regem sibi adsciverunt. Quem contra Spartanos et Corinthios primum excitaverunt : nam, quum eorum legati iter per Thraciam facerent in Asiam, Athenienses Sadoco Sitalcis filio, qui civis Atheniensis factus erat, persuaserunt ut eos sibi traderet, ne, si ad Persarum regem transiissent, regno

(1) Thucyd. III, 17; VI, 31.

(2) Thucyd. II, 97.

nocerent; eosque traditos contra jus gentium necaverunt, quod Aristæum unum e legatis rerum omnium, quæ ad Potidæam et in Thracia antea erant gestæ, auctorem fuisse constabat. Sed majorem ex Sitalcis amicitia utilitatem expectabant. Perdiccas Odrysarum regi promissa quædam dederat, si forte inter se et Athenienses discordias componeret, et a Philippo suo fratre descisceret, nec fidem exsolverat. Qua perfidia exacerbatum Sitalcem ad bellum Athenienses facile accenderunt, existimantes fore ut ejus auxilio Amyntam Philippi filium in Perdiccæ locum subderent, atque Chalcidice potirentur; Hagnonem ducem et se ipsos cum navibus et quam maximo exercitu adversus Chalcidenses præsto adfuturos pollicebantur. Sitalces igitur totis viribus in Macedoniam incubuit; at vastato Macedonico et Chalcidensi agro, cum nihil auxilii ab iis, propter quos infestis armis eo profectus erat, veniret, constitit. Athenienses, qui, ut Thucydides existimat, eum venturum non crederent, cum classe non adfuerant, eique dona potius et legatos miserant. At verior illius consilii ratio ex ipsis rebus elucet; quum enim ingens illa barbarorum colluvies — non minor centum quinquaginta millibus dicebatur, — e saltuosis superioris Thraciæ montibus defluxisset, Thessali, Magnetes, Græcique ad Thermopylas usque timuerant ne contra se quoque veniret, et in armis steterunt. Per Græcos etiam Atheniensium hostes opinio percubuerat hanc multitudinem ab Atheniensibus advocatam in ipsos Athenienses invehi posse. Itaque Athenienses ab incepto destiterant: quod quidem male eis cessit; nam Odrysarum rex cum Perdicca agere cœpit de rebus quarum

causa bellum illi intulerat, eique persuasum fuit a Seuthe ejus nepote, cui Perdicas se in matrimonium sororem daturum clam promiserat, ut celeriter discederet. Tunc Perdiccas a Thracum metu vacuus, quum recentes cum Atheniensibus controversias reformidaret, et Arrhibæum Lyncestarum regem in suam ditionem redigere cuperet, Spartanos in Thraciam accessere studuit (1).

Lacedæmonii, ineunte bello (431 a. c. n.), potentiam Atheniensium se eversuros putaverant, si agrum vastarent; itaque quotannis, frumento jam maturo, Atticæ fines ingrediebantur et diripiebant, donec ad tuendos suos finos discedere cogebantur; nam eodem tempore, quo Peloponnesii Isthmi angustias superabant, Athenienses navibus instructis, aut in oram Peloponnesi maritimam, aut in Spartanorum socios impressionem faciebant. Ea gerendi belli ratio inanis evaserat, quia Athenienses cæteras Græciæ gentes re navali præstabant; magna enim, ut Periclis utar sententia, res est maris imperium; quod nullo modo iis auferri poterat, nisi socii, qui vectigalia navesque suppeditabant, in libertatem vindicarentur. Sed ut Lacedæmonii ob minimam navium facultatem rebellantibus insulanicis auxilia ferre nequibant, ita licebat pedestres exercitus educere ad sociorum auxilium, qui continentem et imprimis Thraciam accolebant.

At Lacedæmonii a longinqua militia abhorrebant; ut duces suos depravari magnitudine potestatis senserant, ultro post pœnam e Pausania sumtam, qui in

(1) Thucyd. II, 95, 97.

Thracia praefectus se Asiaticis moribus corrumpendum dederat; principatum deposuerant, maluerantque modestos habere et disciplinae patriae addictos cives, quam universae Graeciae imperium obtinere (1). Praeterea Peloponnesii eorum socii diuturnorum bellorum erant imperiti, quia propter paupertatem ipsi bellum inter se ad exiguum temporis spatium gerebant (2). Itaque Spartani multis et gravibus causis adducti sunt ut copias in Thraciam mitterent; speraverunt enim fore ut Athenienses Peloponneso et praecipue suo agro imminentes sic averterent, si vicissim incommodo afficerent, copiis ad eorum socios missis, praesertim qui parati essent ad exercitum alendum et se ad defectionem faciendam arcesserent. Illud accedebat, quod per aliquam causam Helotum partem emittere poterant, ne propter praesentem rerum statum, Pylo occupata, aliquid novi molirentur (3). Aegre quidem tulerant Athenienses sexto belli anno Lacedaemonios Heracleam juxta Thermopylas condidisse, quia hanc urbem ad transitum in Thraciam usui fore videretur; certiores autem facti (4) illos inceptum perficere velle, magno in timore esse coeperunt, Perdiccam hostem judicarunt, quem rebantur hujusce consilii auctorem esse, apud socios, qui in Thracia erant, firmiora praesidia collocarunt (5).

At Lacedaemonii Brasidam, quem Chalcidenses ipsi propensis animis expetiverant, ad res in Thracia

(1) Plutarch., *Vita Aristidis*.

(2) Thucyd. I, 141.

(3) Thucyd. IV, 79.

(4) Thucyd. III, 92.

(5) Conf. verba Mitylenæorum apud Thuc. III, 13.

obeundas miserunt. an. 424. a. c. n. — Vir ille et consilio et manu ad omnia promptus quid esset agendum optime sensit. Iter per Thessalos Atheniensium socios faciendum erat; Brasidas ea dexteritate usus, quam perraro apud Spartanos invenires, eam gentem ad se perduxit et Macedoniam sine ulla dimicatione petiit. Ibi vero, quum Perdiccas primum adversus Arrhibæum Lyncestarum regem ire vellet, Brasidas a Chalcidensibus commonefactus ne Perdiccam a metu liberaret, ut ad suas res constituendas ejus opera promptiori uti possent, convenit Arrhibæum, ejusque verbis motus exercitum in Chalcidicen abduxit. In præsentī se justum et moderatum erga civitates præbens plerasque ad defectionem impulit. Quum enim ab civibus Acanthi, ut primum ad urbem successit, impetrasset, ut solum se reciperent, et se audito consultarent, progressus in concionem, declaravit se missum non ut ullo maleficio eos afficeret, sed ut Græcos in libertatem vindicaret, Lacedæmoniorum magistratus religiosissimo jurejurando obstrictos habens, socios, quoscumque ipsis adjungeret, sui juris futuros esse, neque ut factionibus se immisceret, neque ut ambiguam eis offerret libertatem, patrioque instituto neglecto, aut plebem nobilitati, aut nobilitati plebem in servitutem addiceret: quod si eorum commodis bene consulens nihil verbis proficeret, fore ut agrum vastando eos cogeret, nec amplius existimaret se injuste facere, sed vel duabus de causis necessariis æquitatem a se ipso stare, partim quidem propter Spartam, ne damno ejus pecuniæ, quas Atheniensibus pendebant, verterentur, partim propter Græcos omnes, ne ab eis impedirentur,

quominus servituti se subtraherent. Hæc verba (1) eximie ad res erant accomodata; Athenienses enim ob impotentem dominationem maximum in sociorum odium pervenerant : potentia quidem sua usi erant, ut summa rerum plebi attribueretur. At quum in Thraciæ civitatibus incolarum major pars esset promiscua et undique congregata, omnia ad privatam utilitatem referebat, rem publicam negligebat. Itaque Acanthii fructuum amittendorum metu ab Atheniensibus defecerunt (2). Non multo post Stagira, Argila, Amphipolis ipsa Brasidæ exercitum receperunt. Thucydides, qui in Thracia dux erat, quum huic oppido sero subvenisset, Eionen quidem præsidio munivit. Plebs autem ut indiligentem exsilio mulctavit. Amphipoli capta, inquit Thucydides ipse nec ira nec studio motus, Athenienses magnus terror invasit, præsertim quod hæc civitas illis perquam utilis esset, tum propter pecuniarum reditum, tum etiam quod ad Strymona accessus Lacedæmoniis adversus socios suos patefactus esset : a quibus etiam defectionem metuebant; nam civitates, quæ eorum imperio parebant, quum audirent et Amphipolim captam et Brasidæ mansuetudinem laudibus cumulatam, tum ad res novandas maxime erant erectæ, et præcones ad eum clam mittebant, rogantes ut ad se accederet, quasi inter se facto certamine quæ prima ad eum deficeret (3).

Ne quis miretur, quod Athenienses, cognita Brasidæ expeditione, coloniis et sociis suis ab injuria

(1) Thucyd. IV, 86.

(2) Thucyd. IV, 87.

(3) Thucyd. IV, 108.

tuendis non providerint : duos enim duces, Euclem Amphipoli, et Thucydidem in insula Thaso habebant : tum etiam intenti erant ad ea quæ in Beotia agebantur; ubi prope Delium cladem acceperant. Ut res in Thracia male gestas audiverunt, nulla interposita mora, præsidia in urbes dimiserunt. Brasidas autem, quamvis a Spartanis derelictus, quum et civitatis principes ejus gloriæ inviderent, et eos, qui in Sphacteria capti erant, recuperare, bellumque finire mallent, Chalcidicen subigere cœperat; jamque omnia ferme oppida in Acte sita ad se illexerat, Toronamque apud Sithoniam vi et astu occupaverat. Quodsi cæteræ maritimæ civitates aut sua sponte defecissent, aut armis in ejus ditionem venissent, Atheniensibus portu destitutis, ad quem ipsi appellere possent, eorum potentia apud Thraciam actum esset. Tum apparuit Brasidam in ea regione bellantem invenisse qua parte Athenienses vulnerari possent : qui enim arma nondum æquis conditionibus deponere voluerant, inducias in annum petiverunt, existimantes Brasidam nullam præterea suorum sociorum civitatem ad defectionem faciendam amplius impulsurum, priusquam ad bellum se per otium comparassent, simul etiam, si res sibi feliciter succederet, se compositionem diuturniorem facturos (1). At per hos dies, quibus post inducias pactas veniebant legati in colloquium de majoribus fœderibus, Brasidas Scionen et Menden in Pallene civitates amicitia secum junxit, et quum infestam Atheniensium classem exspectaret, Scionæorum Mendæorumque liberos

(1) Thucyd. IV, 117.

et conjuges Olynthum subduxit, atque ad ipsos misit quingentos gravis armaturæ milites Peloponnesios et trecentos peltastas Chalcidenses cum Polydama præfecto. Quo facto, Brasidas una cum Perdicca Macedonum rege, cujus amicitiam retinere magni intererat, bellum Arrhibæo rursus ad Lynceum intulit; res autem non bene cessit: Illyrii a Perdicca mercede conducti, proditis Macedonibus, Arrhibæi partes secuti sunt, Macedonesque cæco terrore perculsi se in repentinam fugam conjecerunt. Tum Brasidas de Mende sollicitus ne, si prius Athenienses illuc appulissent, aliquam cladem acciperet, ad Chalcidicen propere rediit(1).

Etenim Athenienses, comperta Scionæorum Mendæorumque defectione, confestim in Cleonis sententiam decretum fecerant ut expugnarentur et occiderentur Scionæi, et cætera quiescentes ad hoc se præparaverant; adversus autem Scionæos multo magis erant ira elati, scilicet quod primi post inducias factas ab iis defecerant, Brasidamque publice ut Græciæ liberatorem aurea corona redimierant. Itaque Nicias cum quinquaginta navibus et cum mille gravis armaturæ militibus et sexcentis sagittariis et mille Thracibus conductis aliisque peltastis, quos illinc ex suis sociis collegerat, in Pallenen profectus, Menden jam expugnatam diripuerat, nunc Scionen obsidebat. Quin etiam Perdiccam, odio contra Brasidam concepto propter discessum ex Lynco, in Atheniensium amicitiam reduxit, ac per eum effecit, ut Thessali Macedonum hospites Peloponnesiis ad

(1) Thucyd. IV, 128.

Thraciam iter agentibus obsisterent. Postea vero quum res lentius gererentur, Athenienses Cleonem, qui Spartanos in Sphacteria ceperat, cum triginta navibus miserunt. Cleo autem, postquam primum ad Scionem appulisset, quæ adhuc obsidebatur, et intellexisset ex transfugis neque Brasidam Toronæ esse — is enim Potidæam tentabat — neque eos qui intus erant ad resistendum pares esse, cum exercitu ad urbem contendit, eamque occupavit. Tum, præsidio Toronæ imposito, Athon montem classe circumvectus adversus Amphipolin ivit, Eionenque belli sedem delegit : ex qua paulo post profectus Stagira invasit nec cepit, sed Galepsum expugnavit. Missis ad Perdiccam legatis ut ex societatis jure cum copiis ad se veniret, aliisque ad Pollen Odomantum regem, qui quam plurimos Thraces mercede conduceret, ipse tunc Eionen regressus per otium exspectabat.

At Brasidas, his auditis, ad Cerdylum locum ab Amphipoli proximum castra hostibus opposita fecit, simul etiam se præparavit, mille et quingentos Thraces mercede conductos, et Edónes omnes peltastas et equites evocans : habebat præterea Myrcinorum et Chalcidensium præter eos, qui apud Amphipolim erant, mille peltastas. Bellum in Thraciam translatum ; in Thracia erat dimicandum. Etenim post prælium apud Amphipolim depugnatum, in quo Spartani victoriam adepti sunt, atque Brasidas et Cleo mortem oppetiverunt, Athenienses, quum viribus non amplius confiderent, et reformidarent ne socii propter belli offensiones elati magis deficerent, inducias in quinquaginta annos fecerunt, per quas, ipsi, parvo labore, se res in pristinum sta-

tum restitutos arbitrabantur : nec eos spes fefellisset, si induciarum conditiones de Thracia impletæ essent; nam pactum erat, ut civitates liberæ tributum, quod Aristidis tempore erat impositum, penderent, Amphipolis redderetur, de Scionæis et Sermyliis, et si quam aliam civitatem Athenienses haberent, Athenienses de ipsis et de reliquis civitatibus arbitrato suo statuerent (1). At Lacedæmonii, militibus e Thracia deductis, oppida in sua potestate non esse, ita ut traderent, declaraverunt : præterea Amphipolitani, Chalcidenses cæteræque civitates novissime in libertatem vindicatæ induciis repugnaverunt, sociosque conquisiverunt, quibus freti Atheniensibus obstitissent (an. 421 a. C. n.).

Tum vero Bœotii, Argivi, Corinthiique societatem inire studebant, existimantes, si res ita succederet, se jam facile a gravi insolentique Atheniensium vel Spartanorum tutela fore liberos; Chalcidenses cum eis fœdus fecerunt. Quod si stetisset illa minorum civitatum societas, moderatione quadam potentissimis civitatibus imposita, magnas profecto a Græcia calamitates prohibuisset : at quum nihil adhuc Spartanis Atheniensibusque invitis fieri posset, nullam Chalcidenses ea ex societate utilitatem habuerunt.

Athenienses autem, neglectis, quæ Pericles dederat, consiliis — eos hortatus erat ut rebus nauticis operam darent, socios manu tenerent, neque novum imperium quærerent ex bello — quas pacandæ Thraciæ adhibere expediebat copias, in Siciliam miserunt, tempore, quo Spartani et Argivi Thraciæ

(1) Thucyd. V, 8.

civitates sibi adsciscere moliebantur, regemque Macedonum Perdiccam ab eorum amicitia rursus avertebant. Medio quidem Siculi belli ardore, Amphipolim recipere moliti sunt : sed perniciosum Alcibiadis consilium reipublicæ vires attriverat, et urbem cum Thracibus copiis tantummodo obsederant. Itaque neque Amphipolim neque Chalcidicæ civitates præter Scionæos in ditionem redigere potuerunt (1).

Tum vero post immensam cladem in Sicilia acceptam (an. 414 a. C. n.), vectigalia et naves, quæ socii et Thraciæ coloniæ eis suppeditabant, magnopere desiderata sunt : præcipue quum, resurgente Peloponnesio bello, Lacedæmonii Artaxerxis Persarum regis pecunia freti classes comparaverunt, bellumque in Propontidem transtulerunt ; ex quo tempore insulanos in libertatem vindicaverunt, atque Chersonesum et Byzantium in sua potestate tenuerunt, Athenarum potentia actum fuit. Lysander, apud flumen Ægos Atheniensium classe capta, non prius urbem oppugnatum ivit, quam Byzantiis ducem præfecisset, omnesque Græcas civitates in ora Thraciæ maritima positas Lacedæmoniis adjunxisset (2). Athenienses enim ad domesticas copias redacti, post acerrimam repugnationem se dediderunt (an. 404 a. C. n.) ; nec mœnia diruta, nec libertas ademta tam magno incommodo eos affecit, quam coloniæ sociique in libertatem vindicati : nam, tanto deficiente præsidio, nulla eis spes erat fore ut ex ea strage se attollerent marisque imperium obtinerent.

Hujus diuturni belli Thracia non solum sedem

(1) Thucyd. VII, 9.

(2) Xenoph. Hellen. II, 2.

præbuit, sed etiam fortunæ inclinandæ magnum momentum adjecit. Illa Brasidæ virtus et prudentia, quod alii quidem eam re ipsa experti erant, alii autem fama judicabant, Atheniensium socios amicitia Lacedæmoniorum maxime cupientes effecit. Nam, quum primus illinc prodiisset et omnibus in rebus vir bonus visus esset, firmam spem reliquit cæteros quoque ejus fore similes (1). Quam spem res brevi fefellit. Sparta enim cunctas civitates Athenis antea obnoxias in ditionem redegit, magistratusque misit, qui eas regerent. Inde potestas, quæ plebis erat, in manus paucorum devenit. Quum ubique optimatibus Lacedæmonii faverent, et si qua civitas libertatem retinuerat, etiam apud illam plurimum valerent, Thracia maritima tantum dominos permutavit. Attamen damna, quæ, bello sæviante, experta est, nonnullis commodis compensata fuere; etenim, commercio inter barbaros et Græcos instituto, etiam in interiorem regionis partem humanior victus penetravit.

In Thracia superiore Odrysarum regnum fortunæ, qua postea Macedonia floruit, præparari diceres. Dominatio autem a Sitalce condita, ut minimo temporis puncto excreverat, ita celerrime cecidit: nam hæ gentes, dissociato fœdere, in pristinam debilitatem redierunt. Facile apparet Sitalcem virum militarem et belli gerendi peritum nondum barbarum exuisse, quamvis Græcis et imprimis Atheniensibus familiariter usus sit (2). Quorum impulsu quum bellum in

(1) Thucyd. IV, 80.

(2) Diodor. XII, 50.

Macedoniæ regem suscepit, mihi omnino deceptus habitusque ludibrio videtur. Quo quanto callidior Perdiccas! nam quum se foedere nunc Lacedæmoniis, nunc Atheniensibus adjungeret, effecit ut paribus tanquam examinati ponderibus alteri alterorum cupiditatem compescerent, ipse suam potentiam in dies auget. Res sola vi partæ, nisi consilium addideris prudentiamque, cito dilabentur. Sitalcem, ut Pæonios assequeretur, Rhodopæias silvas ad id tempus impervias emunientem depinxit Thucydides (1). Perdiccæ autem successor Archelaus ab eodem auctore narratur castella ædificasse, vias fecisse, exercitum militari disciplina instituisse, artes liberales e Græcia accivisse. Sitalces autem præmatura morte opus imperfectum relinquere coactus est. Seuthes, qui eum excepit, a rebus bellicis, quæ in littoribus Thraciæ gestæ sunt, omnino absuit; denique inter duos ejus filios regnum Odrysarum divisum est; — quæ condita erant una cum eo, qui condiderat, periere.

Thraciæ civitates Peloponnesio bello societatem inter se et cum Lacedæmoniis contra Athenas fecerant: quum autem Lacedæmoniis, qui ob impotentem dominationem in acerrimum Græciæ odium et ipsi pervenerant, bellum Athenienses et Bœotii intulissent, Olynthii, ut sui juris essent, societatem cum Chalcidensibus reficere moliti sunt. Olynthus in ima sinus Toronæi parte posita, nec longe a Pangæi fodinis distans culturæ et mercaturæ studebat. Ineunte inter Spartam et Athenas bello, Chalcidenses, relictis et excisis urbibus maritimis, Olynthum commigrave-

(1) Thucyd. II, 100.

rant et hanc unam sibi civitatem firmam fecerant (1). Cujus urbis multitudo tum ob agri fertilitatem, tum ob civitatem largiter impertitam et jura in gratiam advenarum constituta maxime aucta erat. Etenim octo millia gravis armaturæ militum, peltastas longe plures, mille equitum instruere poterat : materies in agro ad classem ædificandam suppetebat; neque deerant vel ex multis portibus vel ex emporiis vectigalia. Sociis civitatem et connubium Olynthii largiebantur, sibi administrandæ societatis potestatem servabant (2). Oppida primum, quæ in Sithonia erant, et Potidæam in Pallene sitam ad se perduxerunt, Pellamque inter cæteras Macedoniæ urbes longe maximam ceperunt. Jam finitimi Thraces illos obsequiis demulcebant, Athenienses et Bœotii cum eis de ineunda amicitia agebant, quum Acanthus et Apollonia civitates in Acte maxime florentes, quibus Olynthii, ni copias ad se mitterent, agrum se invasuros denunciaverant, auxilium a Spartanis petiverunt. Hi, quum bello, quod contra Athenienses et Bœotios gerebant, distinerentur, secundis rebus Olynthiorum minime obfuerant. Verba autem legatorum periculum haud prospectum palam fecerunt; nam quum et opes et copias hujus urbis commemorassent, Lacedæmonios cavere monuerunt, ne ad vires Atheniensium et Thebanorum tanta potentiæ fieret accessio; nam deinceps haud facile obviam illis ituros esse (3).

(1) Thucyd. I, 58.

(2) Xenoph. Hellen. V, 2, 12.

(3) Xenoph. Hellen. V, 2, 19.

Spartani Olynthum terra marique obsederunt : ejus ex acerrima propugnatione apparuit quanta omnium rerum in ea esset facultas : tertio enim tantum anno Lacedæmonii licet Amyntæ Macedonis copiis freti oppidum ceperunt, duobus ducibus et regum altero interemptis. Afflicta Olynthiorum fortuna Græciæ detrimento fuit; nam si tempus illi societati firmandæ datum esset, ea adversus Macedones, quos prohibuisset a mari, quasi munimentum esse potuisset : sed Chalcidensium civitatum invidia, infensusque Lacedæmoniorum animus, quorum intererat civitates illas dissidere, in hoc consenserunt.

In extrema altera Thraciæ parte, Chersonesitæ eodem ferme tempore ad Spartanos confugiebant, nedum in libertatem se vindicare studerent. Post Atheniensium cladem, qui eos adversus Thracum incursiones tuebantur, imperiti et ad bellum imparati fuerant. Itaque petentibus illis, Dercyllidas, qui in Asia dux erat, trajecto mari cum exercitu, isthmum muro præsepsit (1).

Quibus ex rebus intelligi potest, cur Thraciæ coloniarum nullæ fuerint partes in insigni bello, quod inter Lacedæmonios et Bœotios exortum est. Cæterum Spartanorum potentia non in vectigalibus et Thraciæ nauticis facultatibus, quoniam ipsi post Antalcideam pacem maritimum imperium abnuerant, sed potius in Græciæ Peloponnesique gentibus erat sita : ibi enim devicti Bœotiis principatum concesserunt.

Athenienses autem, flagrantibus illis discordiis,

(1) Xenoph. Hellen. III, 2, 10.

res suas in Thracia restituere moliebantur; nam haud erant immemores quantum socii et Thraciæ civitates ad suam fortunam amplitudinemque valuissent. Jam Conon copiis et pecunia Persarum fretus Athenarum muros et nonnihil rem navalem refecerat (1). Postea Thrasybulus ad Hellespontum classe profectus Medocum et Seuthem Odrysarum reges sibi adjunxit, quorum opera se arbitrabatur effecturum, ut maritima Græci nominis oppida firmitus Atheniensibus adhærerent, si amicitia inter hos et Athenienses intercederet: Byzantiis decumam eorum, quæ prætervehebantur a Ponto, vendidit (2), simul civitatem paucorum dominatu liberatam plebi administrandam tradidit; quæ res effecit, ait Xenophon, ut plebs haud gravate maximam Atheniensium multitudinem in urbe sua cerneret. Thraciæ civitates tum ob Lacedæmoniorum odium, tum propter suas utilitates ad Atheniensium societatem rursus se applicuerunt. Denique Iphicrates et Timotheus non modo Chersonesum in jus ditionemque, sed etiam septuaginta civitates in amicitiam receperunt. Athenienses autem sera adversus socios æquitate agros colonis divisos, si qui adhuc essent in sua potestate, pristinis dominis restitui jusserunt. Attamen Amphipolim recuperare non potuerunt, et Olynthus, quæ sui juris rursus erat, principatum quendam inter Chalcidenses civitates obtinebat.

Is erat rerum status, quum Philippus, pacatis

(1) Corn. Nep., *Vita Cononis*.

(2) Xenoph. Hellen. IV, 8, 27.—Byzantium, quum jus quo per situm fruebatur firmissime teneret, freti transitum per naves interclusum nemini permittebat nisi sociis aut magnum portorium solventibus.

Macedoniæ dissidiis, multa moliri cœpit. Plerique Macedonum reges, inter quos Alexander, Perdiccas, Archelaus non sunt prætereundi, gentem per utiles liberalesque Græciæ artes excolere studuerant. Macedones autem, quamvis miliores facti essent, belli tamen studium retinebant et ad eum magnitudinis gradum pervenerant, unde profecta gens res magnas insigni viro duce perficere potest. Philippus in Epaminondæ domo educatus ab eo militarem disciplinam didicerat, et Græciæ civitates perlustrando res hominesque penitus cognoverat. Quum compertum haberet quam graviter jam civitates illæ essent lapsæ, primum se Græciæ rebus immiscendi, deinde principatum adispicendi consilium cepit. At primam hujus consilii partem assequi nullo modo poterat, nisi Chalcidicæ oppida, quæ eum a mari prohibebant, sub ditionem redigeret; nam Athenienses, qui soli ex omnibus Græciæ populis ei obsistere poterant, licet imminuta re navali, maritimi tamen imperii principatum tenebant. — Pars vero propositi altera facile implebatur, si Macedonum rex Hellesponto potitus erat: ita obnoxias sibi faciebat non modo Athenas, sed etiam plerasque Græciæ civitates et insulares, quarum naves rei frumentariæ et mercaturæ causa in oras Ponti-Euxini et Istri accedebant. In summa igitur Philippus per Thraciam Græciæ dominationem quæsivit.

Amphipolim Philippus primam respexit, quæ in ostiis magni fluminis sita daret aut adimeret Macedoniæ maris aditum, Atheniensibus Strymonicæ vallis. Amphipolitanis, quum ab iis vel læsus (1) esset, vel

(1) Diod. XVI, 8. — Nescimus quid Philippus questus sit.

se læsum esse diceret, bellum intulit. At ei grave periculum erat, et ab Athenis, quæ amissam coloniam repetebant, et ab Olynthiis, qui a Spartanis liberati nunquam majore potentia floruerant. Quod si eæ civitates Philippi consiliis cavissent consociandis viribus, rem amisisset (an. 348 a. C. n.). Igitur mira calliditate usus conciliavit sibi Olynthios remittenda urbe Anthemonte, Atheniensibus persuasit se redditurum Amphipolim expugnatam, ea tamen lege, ut sibi liceret Pydnam occupare, quæ regnante Amynta defecerat in eorum societatem. Jam quum Amphipolitani obsessi se Atheniensibus darent, Philippus epistola promissa confirmavit (1); Athenienses autem Amphipolitanis tanquam defectoribus infensi efflagitam opem recusaverunt. Captæ urbi Philippus pepercit, tantum præcipuis adversorum civium in exsilium actis (2), et ita insedit, ut firmissimum Macedoniae munimentum fieret. Deinde Pydnam proditione occupavit, nec tamen Amphipolim Atheniensibus restituit. Athenienses autem, quum gravissimo adversus socios bello distinerentur, Philippo obsistere non poterant, cum Olynthiis societatem contrahere poterant. Huic periculo Philippus occurrit; quum Olynthiis pollicitus esset Potidæam, quam Athenienses præsidio tenebant, urbem post longam et damnosam obsidionem proditione forsitan captam Olynthiis tradidit. Athenienses, qui præsidio erant, in patriam remisit, professus se cum Athenis pacem agere. Nescimus quid ea civitas tentaverit ut Philippum proposito

(1) Demosth. Olynth., II, 6. I, 8. Philipp. II, 20.

(2) Bœekh., *Corpus inscriptionum*, n° 2008.

dejiceret. Mercenarios missos esse crediderim, qui, mercede non soluta, nihil egerunt (1).

Igitur anno 356 a. C. n. Philippus Atheniensibus eripuerat totius Thermaici sinus imperium, Olynthios sibi conciliaverat, Amphipolis maritimas opportunitates sibi proprias fecerat, conditis Philippis ad exercenda montis Pangæi metalla, quæ Thracibus ademerat, copias alere et augere poterat.

Atheniensibus adversus socios bello interceptis, Philippus primam partem itineris in Hellespontum peregerat : per Thessalica dissidia et bellum religionis violatæ causa susceptum licuit ad Thermopylas pervenire. Quum tres tyranni Thessaliam vexarent, petentibus Thessalis, eos evertit, eversorum mercedem sumpsit Pheras, Magnesiam, Pagasas. Tum Phocensibus ab Amphictyonibus damnatis quum bellum inferret, Thermopylas transire volentem dux Atheniensium Nausicles prohibuit. Hinc repulsus Philippus Thraciam respexit.

Hic Odrysarum imperium in duo regna disceserat, quæ Cotys Amadoci successor in unum contraxerat. Qui quum primum Atheniensibus conjunctus Iphicrati filiam in matrimonium dedisset, et a republica civitate et aurea corona donatus esset, amicitiam non retinuit. Is quum Chersoneso immineret, Mythocitem rebellantem Athenienses adjuverant. At Charidemus dux hujusmodi hominum, qui post Peloponnesium bellum mercede militare cœpissent, quum regi Odrysarum operam locavisset, Crithotam, Eleontem, Chersonesi partem occupavit. Interea Coty interfecto, quum tres filii dissiderent, major natu

(1) Demosth. Olynth. II, 28.

Kersobleptes Atheniensium auxilium iis restituendis, quæ pater ademerat, pactus est (1). Mox quum pœniteret rerum tanto pretio emptarum, ab Atheniensibus defecit; quem Philippus societate sibi conjunxit; deinde Heræum aggressus est castellum, quo Athenienses frumentum advehendum tuebantur. Ea re nuntiata, statim Athenienses cum Olynthiis de societate agere, admonere Kersobleptem imminentis periculi, mittere classem decem navium duce Charidemo, qui, Coty interfecto, Atheniensibus militabat. Audito autem Philippum morbo laborare, inceptum cursum sustinuerunt.

Demosthenes autem, quum Macedonis viri consilia toto animo intentum non fugerent, rem persequi oportere censebat. Ratio quidem belli, quam Demosthenes Philippicis et Olynthiacis suadebat, ad summam videtur fuisse ut (2) bellum ab Athenis arcerent, in Thraciam, in Hellespontum Bosporumque transferrent; quod Philippi consiliis adversis frontibus contrarium erat. Id ita administrandum esse censebat, ut cives militarent et navigarent, exercitui stipendia solverentur, ne sociis potius quam hosti noceretur. Hæc frustra Demosthenes Atheniensibus proposuit (3) : nam Philippus Atheniensibus sollicitudinem demebat otii ostentatione, illa quidem vel ad alia consilia utili, quum superiorum regum exemplo Græcis artibus delectaretur, ne Macedonia videretur a Græcis moribus et vita abhorrere, neve barbara et aliena a Græco genere et nomine haberetur.

(1) Demosth. contr. Aristocr., 170, 171.

(2) Conf. Olynth. I, 25; III, 6. Philipp. I, 47; III, 15.

(3) Demosth. Philipp. I, 16.

Post biennium (an. 349 a. C. n.) Philippus consilia perficienda repetivit. Is quum metueret ne Olynthus, societate cum Athenis conjuncta, hostibus aditum Macedoniae daret, Olynthios, quod duos viros e sanguine regio oriundos (1) recepissent, aggressus est. At exercitum muris non statim admovit, sed capiendis caeteris peninsulae urbibus Olynthum tanquam circumvallavit. His perterriti Olynthii miserunt Athenas, qui peterent ut urbem sociam auxilio sublevarent. Philippo autem favebant multi Athenienses et Olynthii. Foederatae civitates, quarum Olynthus caput erat, non omnes eadem cupiebant: in unaquaque urbe erant cives potentiae studiosiores quam honestatis, et factiones hominum Philippum dominum magis quam adversarios tolerantium. Tum Philippus, quum terras vicinas Olynthiis teneret, cunctos corrumpere poterat concedendis pascuis aut navali materia (2); alios arbitrio subjectos habebat, quos probibere posset a montis Pangaei metallis, quae Olynthii semper exercuerant (3), alios, qui domi aut militiae sibi operam locarent. Demosthenes autem, contradicentibus Demade et oratoribus, qui a Philippo stabant, persuasit Atheniensibus ut Olyntho opem ferrent. Ostendens enim quam male id cessisset quod Philippo bellum contra Chalcidenses gerenti non obstitissent: « Si tum, aiebat, uni horum primo alacriter, et ut decuerat, opem tulissemus, faciliore et multo humiliore nunc Philippo utere-

(1) Justin., VIII, 3.

(2) Lasthenes aedes suas contextit lignis dono allatis e Macedonia, et Euthyrates boves multas aluit pretio nemini numerato. Demosth. de fals. leg. § 265.

(3) Xenoph. Hell., V, 2, 17.

mur.... Qui si in ea sententia erit ut agendo semper
opes suas augendas censeat, vos autem nullius rei
curam strenue suscipiendam, considerate quem tan-
dem harum rerum exitum fore sit sperandum. Quis
vestrum, per Deos immortales, adeo socors est,
qui nesciat bellum inde ad nos venturum, si neglexe-
rimus? Verum id si fiet, vereor, Athenienses, ne ad
eundem modum, quo qui facile pecuniam magno
fœnore sumunt atque illa paulisper locupletati, post
etiam patrimoniis evertuntur, sic et nos, si magno
segnitiem nostram constitisse appareat et ad volup-
tatem omnia retulisse, in eam tandem necessitatem
veniamus, ut multa et gravia facienda sint ex iis
quæ non vellemus, utque bona hujus ipsius regionis
periclitentur (1). » Chares missus cum triginta na-
vibus et tribus millibus mercenariorum, classe ad
Pallenes peninsulam appulsa, octingentos Macedones
vicit: quo nuntiato, Athenienses lætitia exsultantes
parum curarunt quod agendum supererat. Interea
Olynthii de pacis conditionibus agendo moram
quærebant. Philippus autem primum aurem præbere
visus est, deinde quum non longius XL stadiis ab
urbe abesset, declaravit aut ab iis Olynthum (2), aut
a se Macedoniam relinquendam esse. Has in angus-
tias compulsi, eruptionem magna vi fecerunt: victi
autem, quanquam Apollonides dux equitatus egregia
fortitudine dimicaverat, muris se continebant, lega-
tosque Athenas miserunt.

At Demosthenes, quum videret quantum Athenarum interesset illam civitatem non everti, Olynthio-

(1) Demosth. Olynth. I, 14.

(2) Philipp. III, 11.

rum causam vehementius egit; itaque duodevigi-
ginti triremes, quatuor millia mercenariorum, cen-
tum et quinquaginta equites duce Charidemo in
Chalcidicen profecti sunt, Pallenes peninsulam
et Bottiæam regionem vastaverunt, Olynthum in-
gressi licentia vexaverunt. Missis iterum Athenas le-
gatis, Demosthenes instanti oratione suasit Athe-
niensibus ut cives mitterent, Macedoniæ oram
aliqua parte aggredierentur, ut hostem averte-
rent, pecuniam publicam in utiliora insumerent, de-
monstravitque Olynthum esse tanquam impedimen-
tum Macedoni et incommodum, ac velut in statione
quadam ad eum prima quaque (1) occasione infestan-
dum, deinde in Olynthiorum salute sitam esse Athe-
niensium securitatem; Philippum enim salvis Olyn-
thiis nunquam in Atticam venturum, sed Atheniensibus
potestatem fore navigandi in Macedoniam atque in
ea gerendi belli; sin hæc urbs Macedonum in ditio-
nem caderet, apertam esse viam regi ad Athenienses
invadendos.

Sententia Demosthenis probata est; at jam Olyn-
thus expugnata erat; nam Apollonidem exceperunt
Lasthenes et Euthyrates, homines a Philippo cor-
rupti, qui primum rem melius gerere visi milites olim
in insidias deductos hosti tradiderunt. Olynthus dedi-
tionem fecit. Philippus urbem evertit; Olynthios vi-
ros vendidit (anno 437 a. C. n.) (2). Auctoribus
Demosthene et Justino (3), civitates Chalcidicæ pe-

(1) Olynth. III, 6 et sq.

(2) Diodor. XVI, 53.

(3) Just. VIII, 3. Demosth., § 87. Philipp. III, 26.

ninsulæ prorsus perierant, ut nullum vestigium superesset : suspicor rem in majus auctam esse, muros tamen urbium eversos fuisse, publica ædificia aut deleta aut neglecta, domus vicosque non a civibus possessa esse, sed a servis qui Macedonibus vel Græcis Philippi amicis laborabant.

Olyntho expugnata, Philippus Chalcidicen tenebat, nec jam inter regnum et mare quidquam intererat. Tum Macedonia contingebat a Septentrione et ab Oriente regnum Kersobleptis, a meridie mare Ægæum et Thermopylas; nam Thessalia Macedoniæ pars facta erat. Jam Philippus hoc egit ut Hellespontum occuparet, qua unus aditus esset Græcis ad fertiles Ponticæ Euxini oras, unde imprimis Atheniensibus magna pars frumenti exportabatur. Propter Atticæ sterilitatem, res frumentaria Atheniensibus magni erat momenti; itaque sancitum erat ne quis plus quinquaginta modios compararet; atque frumenti curatores in hoc erant constituti, ut caverent ne mancipes vel frumentum comprimendo, vel naves in Ponto fuisse submersas dictitando cariorem annonam facerent; accidit etiam, ut quidam ex illis capite pœnas darent, quia negotiatores compescere neglexerant (1). Quod quidem haud minus ad insulares pertinebat: nam apud Thucydidem legitur Lesbios, Peloponnesio bello, quum ab Athenis deficere vellent, quam primum accessivisse frumentum, quod ex Ponto venire oportebat (2). Ex quo facile intelligi potest quanta utilitas Philippo redundatura esset, si Hellesponto potiretur.

Cui consilio metus erat ne cæteræ Græciæ civitates,

(1) Lysia or. contra frumenti negotiatores.

(2) Thucyd. III, 2.

societate facta, obsisterent : nam Athenienses, capta Olyntho, Eschinem legatum in Peloponnesum miserant, qui omnes civitates adversus barbaros, quos vocabant, concitaret. Philippus autem jussit eos homines, quos auro emerat, dicitare quantum a bello abhorreret, Atheniensibus faveret : ipse insigni comitate accepit legatos Athenienses missos ad captivorum redemptionem. Ii Athenas reversi potentiam Philippi formidabilem vere magis quam læte ante oculos proposuerunt, quantum amisisset civitas in memoriam revocarunt, populo ut pacem faceret persuaserunt. Huic omnium animorum impetui Eschines et Demosthenes non obstiterunt, probaverunt decretum, quo Philocrates rogavit ut mitterentur legati, qui cum Philippo de pace agerent (1). Eschines quidem et Demosthenes in numero legatorum erant ; alter auro se vendidit, alter, Philippo ipso conspecto, perturbatus est, et obmutuit. Philippus pollicitus est se legatos missurum, qui pacem perficerent, ipse quam diutissime potuit jusjurandum elusit (2).

Interea ad Hellespontum viam sibi muniebat. Nam Kersoblepti regi Odrysarum, qui Philippi potentiam reformidans in Atheniensium societatem redierat, quum non cessaret vastare agros Græcarum civitatum, quæ in Macedoniæ fide et tutela erant, Philippus bellum intulit, aliquot præliis eum vicit, Thracas coegit ut decimam publicorum fructuum sibi solverent. Quorum incursiones ut frenaret, condidit postea Cabylam sub Rhodope, Philippopolim propter Hæmum. A rege liberatæ complures Græcæ civitates

(1) Demosth. or. de pace.

(2) Demosth., de Fals. Leg. Eschin., de Leg.

societatem cum eo inierunt (1) : Serrhium, Doriscus Thraciæ castella, Mons Sacer et aliquot civitates hujus oræ, quæ Atheniensibus tributum solvebant. Philippus autem quæcumque occuparet, antequam jusjurandum daret, jure capta esse dicebat. Interea homines, quos Athenis sibi deditos habebat, impediabant quominus adscriberentur nomina sociorum qui pace comprehendebantur. Tandem Philippus, quem jam duos menses Atheniensium legati Pellæ opperiebantur, rebus per eorum tarditatem perfectis, regressus, jurejurando se obstrixit ad pacem septem annorum. At Demosthenes legatos mercede et largitionibus corruptos Thraciæ castella et Hellespontum locum reipublicæ tam utilem in mari quam in terris Pylas Philippo flagitiose vendidisse arguens, propter tantum scelus vel morte vel multa pecunia puniendos esse censebat (2). — An. 346 a. C. n.

Ora Thraciæ capta, Macedonia, cujus olim ne una quidem navis in mari Ægæo visa erat, cæteris classe præstabat, et per mare pertinebat ad Græciæ civitates, ut jam multo latius Philippus vim cæterasque dominandi artes exerceret. Omitto quidem Pangæi argentifodinas, per quas oratores sui studiosos in unaquaque Græciæ civitate emere, exercitus instruere, Phocenses sacrilegos subvertere ei licuit, unde evenit ut in Amphycionum societatem receptus fuerit (3). Tum vero Eubœæ dissidiis se immiscuit, insulamque in ditionem redegit, Megaræ conjurationem fovit, ut civitas tutelæ committeretur, Elidem occupavit in Peloponnesi

(1) Diod. XVI, 71.

(2) Demosth., *de Falsa Leg.*, § 178.

(3) Philipp. III, 32.

ora, Naupactum et Ambraciam tentavit subita agressionē (1). Cujus quidem maritimæ potestatis Demosthenes manifestiorem vim facit, quum Atheniensibus suadens ut in Thraciam bellum ferrent, ita disserit : « Accedet illud, Athenienses, ut maxima illi emolumenta intercipiatis : quæ hæc sunt ? a nostris sociis extorta pecunia nos oppugnat, navibus in mari diripiendis. Deinde, quid præterea vos eritis consecuti ? ut vobis nocere non possit : non ea fient, quæ superiore tempore, quum in Lemnum et Imbrum facta impressione vestros cives captivos abduxit, et ad Geræstum comprehensis navigiis immensam pecuniam collegit, postremo in Marathonem ascendit et sacram triremem ex illa regione abripuit (2). » Ex quo factum est, ut quos Græciæ populos et imprimis Athenienses pedestri exercitu invadere non poterat, jam tum classe aggrediretur. Quin etiam maritimum imperium obtinendi consilium cepit. Insulam Halonesum piratis eripuerat, quæ statio navibus apta esset inter Chalcidicen et Eubœam ; quum vero Athenienses perterriti per totam Græciam conquererentur, Philippus, qui pace utebatur, ut res suas auget, nihil antiquius habebat, quam ne bellum oriretur : Atheniensibus proposuit se Halonesum restitutum ealege, ut secum piratas exterminarent, Pythonemque jussit hoc suadere animosque mulcere. Demosthenes autem, vel qui orationem de Haloneso scripsit, Athenienses dissuasit, ostendens Philippum non aliud quam hæc postulare, ut sibi ab illis traderetur maris imperium, utque ipsi confiterentur sine Macedonum rege ne mare

(1) Philipp. IV, 7.

(2) Demosth. Philipp. I, 34.

quidem custodiri posse, ut hæc etiam licentia sibi daretur quocumque liberet navigandi et insulas per speciem arcendorum piratarum ingrediendi, insulares corrupendi et ab eorum societate abalienandi, et ut reliquas etiam insulas sibi vindicaret, mittendis hominibus, qui se Atheniensium ducum classi adjungerent, tanquam custodiae maris consortes futuri (1).

An. 342-41 a. C. n. — Philippus autem in Thraciam superiorem, ubi Kersobleptis filius Odrysas concitaverat, arma vertit. Quum Græciam omittere videretur, sollicitudinem demebat iis, qui futura parum providebant; nec tamen aberrabat a proposito, quum, regno Odrysarum in ditionem redacto, consilia facilius exsequi posset in Bosporo et Propontide.

Societate inter Cardiam Philippumque facta, Athenienses de Chersoneso solliciti erant, unde Philippus dominaretur in Hellespontum et partes maris Ægæi quæ septentrionem spectant. Quamobrem, ut Chersonesum tuerentur, deduxerunt colonos, duce Diopithe. Reliqui quidem Chersonesitæ eos in societatem ædium et agrorum receperunt; Cardiani autem, quod regionem suam se tenere dicebant, non Atheniensium, repulerunt. Hinc a Diopithe Cardiani bello quum peterentur, ad Philippum confugerunt. Is per litteras Atheniensibus edixit ne Cardianis propinquis suis vim facerent, sed jure agerent, si quam sibi factam injuriam quererentur. Repugnantibus illis, Philippus auxilia Cardianis misit: quod quidem Diopithes graviter ferens, dum Macedonum rex in mediterraneis

(1) Or. de Haloneso, §§ 14, 15.

partibus superioris Thraciæ contra Kersobleptis filium bellum gerit, maritimam Thraciam, quæ Macedoni parebat, incursionibus populatus est, et antequam (1) Philippus reverteretur, in Chersonesum tuto se recepit. Quare quum Philippus armis eum ulcisci non posset, ducem illum apud Athenienses accusavit, qui manifesto pacem violasset; oratores ejus studiosi in Diopithem incitati puniendum eum jusserunt. Iis autem Demosthenes adversatus Diopithem iniqui quidquam fecisse negavit, ostenditque e republica non esse eum ducem puniri et ejus exercitum dimitti, qui Philippum Chersonesi aditu prohiberet; nam exspectatis Etesiis, qui Atheniensium classem retinerent, regem vel Byzantium vel Chersonesum aggredi posse, patefactoque Philippi consilio: — « Illud, aiebat, certo sciendum est, omnia quæ molitur et apparat nunc ad urbem nostram oppugnandam pertinere, atque ubicumque aliquis eum ulciscetur, id pro defensione vestra esse. Neque enim quisquam vestrum ita simplex est, qui Philippum existimet mala illa in Thracia (nam nullo alio nomine appelles Drongilum et Cabylen et Mastiram et ea quæ nunc expugnat sibi que subjicit) cupere, utque illa obtineat, et labores et hiemes et extrema pericula sustinere, Atheniensium vero portus, et navalia, et triremes, et argenti fodinas, et tantos proventus non cupere, sed passurum ut vos ista teneatis, propter panicum autem et sili ginem in Thracia cuniculis defossam, in barathro non dubitet hibernare. Non ita est, sed ut his potiatur, et illa et cætera omnia molitur. Quid igitur prudentium

(1) Demosth. opera, edit. Didot., p. 82. Epist. Philippi.

hominum est? quum hæc sciant et cognorint, insignem istam et incredibilem socordiam deponere et pecuniam conferre, idemque ut faciant a sociis petere, ac providere atque agere omnia, constitutus iste exercitus ne dilabatur, ut quemadmodum ille paratas copias habet ad violandos et subigendos omnes Græcos, ita vos eas habeatis, quæ servant universos et tueantur (1). » Philippus vero Diopithem in proelio victum occidit; atque receptis copiis, quas Macedonia arcessiverat, Byzantium, Perinthum, Selymbriam oppugnavit, haud falso ratus fore ut civitates illæ belli socialis non immemores se dederent, potius quam Athenienses duces militesque mercenarios admitterent; nam illi metum oppidis ipsis incutiebant, quæ sine eorum ope retineri non poterant. Demosthenes, ut respublica Olynthiis facilius subveniret, postulaverat ut leges theatrales abrogarentur, sui capitis periculo (2); ad exsolvendam autem omni impedimento frumentariam vectionem, Atheniensibus suasit ut non modo Byzantiis suis hostibus auxilium ferrent, sed etiam, omissa pristina laude, quam in Medico bello erant adepti, regis Persarum per legatos societatem expeterent (3). Athenienses ipsi, quos Olynthus in discrimine extremo posita vix moverat, famis formidine incitati, exercitum ex civibus collectum, duce Phocione, in Hellespontum (4) miserunt: eademque de causa, insulis Chio, Coö, Rhodo oppugnatis subvenerunt. — An. 340 a. C. n. — Qui-

(1) Demosth. or. de Chersoneso, §§ 43-46.

(2) Demosth. Olynth. III, 10.

(3) Philipp. IV, 33, 34.

(4) Diod. XVI, 77. — Philochori Fragm.

bus auxiliis servati Byzantii, Perinthii, Chersonesitæ populum Atheniensem coronis ornaverunt. — « Quod quidem bellum, ut verbis Demosthenis utar, præter quam quod reipublicæ famam honestam peperit, id quoque præstitit, ut omnia ad vitam sustentandam necessaria et uberius et minoris ab Atheniensibus pararentur, Chersonesus et Byzantium servarentur, tum etiam Hellesponti dominatu Philippus excluderetur (1). » Respublica vero, quia opportune non prohibuerat quominus Macedonum rex suas res mirum in modum, fere tota maritima Thracia in ditionem redacta, augetet, eodem erat in discrimine, quo oppidum quod, eversis propugnaculis, primo impetu non capi non potest. Pugna enim apud Cheroneam facta — anno 338 a. C. n. — Athenas et omnem ferme Græciam Philippi imperio subjecit. Philippus autem Athenas, Chersoneso et insulis Lemno, Imbro, Samo concessis, sibi conciliavit: qua benevolentia nullum profecto periculum adibat; nam Pylis Elatæaque potitus, per quas in Atticam ingredi licebat, Macedonum præsidio Cadmæam tenebat, atque, Byzantio in societatem recepto, Bospori aditum arbitrato suo intercludere poterat.

Igitur hoc certamine, quod inter Athenas et Philippum exortum est, Thracia tantum momentum habuit, quantum paulo ante bello Peloponnesio. Utris enim bellantibus principatus contigit? nonne iis, qui littoribus Thraciæ potiti sunt? Hæc autem regio, quum Græcia Macedonum facta esset, ad communem fortunam Hellados dirigendam non nihil

(1) Demosth., *pro Corona*, § 93.

conferre visa est. Antequam in Asiam proficisceretur, Alexander ad Istrum usque processit indomitas gentes in ditionem redacturus; tum ne reguli duces et libertatis restituendæ fautores, quum ipse longinqua expeditione distineretur, arma caperent, eos omnes una secum duxit (1); Memnonique viro tam manu quam prudentia commendando rerum gubernacula reliquit (2). Thracia enim pacata, a reliqua Græcia nihil periculi erat, iterque ex Europa in Asiam patebat. Alexandro mortuo, Thracia ex quatuor regnis, quæ ex imperii ruina orta sunt, unum fuit. Fortasse aliquis requirat, cur hoc regnum regna Ægypti vel Syriæ, vel Macedoniæ diuturnitate non adæquaverit. Illud enim obtigerat Lysimacho, qui inter Alexandri socios magnum nomen gesserat : nec ita illi temporis spatium angustum fuit, ut suam suæque sobolis auctoritatem non stabiliret : quippe qui per quadraginta annos Thraciam administraverit; neque in eo calliditatem animique robur desiderares; etenim a jurgiis, in quibus cæteri Alexandri hæredes versabantur, aliquandiu absfuit; neque magis cordi quidquam habuit, quam barbarorum gentes, Græcasque colonias in Thracia sitas perdomare; urbem condidit Lysimachiam nomine, quæ foret caput regni, barbarasque gentes ad humaniorem victum institueret; denique ut suam prolem subjectis cariorem efficeret, ex Odrysia gente uxorem duxit. Attamen una cum conditore hoc regnum interiit : quod barbaro Sitalci, idem Græco Lysimacho accidit. Neuter diu-

(1) Front. Stratag. II.

(2) Diod. XVII, 62.

turnæ dominationis fundamenta jacere potuit : neque infitias ibo Lysimachum, quamvis dotibus ingenii maximis præditum, quum ad senium jam vergeret, multa peccasse. Augendi imperii cupidine adductus est, ut cum commilitonibus in solium evectis depræliaretur; post cladem cædemque Antigoni Asiam Thraciæ addidit, et paulo post, Cassandro mortuo, Macedoniam. Deinde totum Alexandri magni imperium affectavit, regemque Syriæ Seleucum infestis armis aggressus coronam vitamque in Cyropedii pugna amisit; filium suum Agathoclem, levi suspitione motus, interemit, seque eo deprivavit, qui operi incepto supremam manum imponeret. Attamen eæ non sunt veræ causæ cur Lysimachus eandem dominationem condere nequiverit, quam in Ægypto aut Syria Ptolemæus aut Seleucus : etenim isti reges effrena ambitione laboraverant; eorumque aulam discordiis vexatam fuisse constat. At Ægyptii Syriique longa consuetudine jugum ferre docti erant; Thraces autem bello assueti libertatem adamabant; adde quod regio montibus aspera, imperviis sylvis obsita, variis gentibus discors obstabat ne populus in unum coalesceret. Hæc est causa cur tum Sitalci, tum Lysimacho res male successerint, amboque eidem consilio impares fuerint.

Egrediar operis propositi finem, si persequar quæ fuerit Thraciarum coloniarum conditio a morte Lysimachi usque ad tempus, quo in Romanorum ditionem redactæ sunt. Eæ urbes, quanquam omni externa ope destitutæ, non ita male habitæ sunt a Thracibus aut a Gallis, qui ducibus Belgio et Commontorio occupaverunt oram hujus regionis maritimam. Barbarorum

enim maxime intererat ut urbes Græcæ starent. Nam Scythæ, quum Miletus intestinis bellis fracta esset, captam Olbiam everterunt, mox instaurare Milesios siverunt, quum indigerent Græcorum commerciis (1). Eadem necessitate urgente, Thraces minus illi quidem quam Scythæ efferi coloniis Græcis pepercerunt. Exiguum tempus fuit perturbationis, qua res Macedoniae et Thraciæ, mortuo Lysimacho, laboraverunt. Reges autem Macedoniae, potestate recuperata, sine dubio faverunt Græcis civitatibus, quæ solæ humaniorem vitæ cultum in ea barbarie repræsentabant. Jam numismata, quæ ad hoc tempus pertinent (2), in plerisque urbibus reperta demonstrant non relicta esse linguam, artificia, artes Græciæ.

(1) Sainte-Croix, *de l'État et du sort des Colonies grecques*, p. 239.

(2) Mionnet, *Description des médailles grecques et romaines*, t. I, p. 364-368, 371, 462, 376, 426, et Eckel, *Doctrin. numm.*, t. II, p. 10, 18-24, 39, etc.

III.

Restat ut ostendam quod vitæ genus exercuerint, qualesque constituerint civitates isti Græci, qui in Thraciam migrabant, utque enarrem quo modo harum regionum et populi et reguli, barbarie sensim exuta, ad humaniorem vitam sese converterint.

Mihi talia investiganti quasi facem præfert Thucydides : Amphipoli, inquit, pauci Athenienses; reliqui incolæ undique congregati. Nempe in ista hominum alienigenarum colluvie Græci numero præstabant : iidem autem diversis e locis profecti; inde Græcia altera cum bello, tum mercaturæ studio addicta his in regionibus creverat. Neque eam vel Atticam, vel Spartanam, vel Thebanam, vel Corinthiam originem redolere diceres : sed totius Hellados, ne dicam orbis, commune ingenium, commixtis moribus, ibi repræsentabatur. Nec jam miraberis, cur eæ coloniæ a Spartanis ad Athenienses, ab Atheniensibus ad Spartanos tam facile defecerint; quum a nemine starent, libidini, vel utilitati, vel necessitati obtemperabant.

Civitatibus quæ ex alieno jure pendent nulla ambitionis materies : itaque videmus urbes a Græcis in Thracia conditas, nunc Athenis, nunc Spartæ, nunc Philippo obnoxias, in agriculturam, in commercium, in artes, quæ ad utilitatem pertinent, omnem cogitationem et curam contulisse. Quod si uno aspectu Thraciam amplecti tibi datum esset, hinc vidisses Chersonesi et Chalcidices incolas agris colendis pecudibusque educandis operam navantes, illinc juxta magnos fluvios, qui regionem alluunt, propter Strymonis, Nesti, Hebri ripas, vel circa extrema Rhodopes juga, miratus esses immensa navalia, officinasque ad metalla congerenda dispositas. Maritima oppida, in primis ea quæ Hellesponti, Propontidis, Bosphori erant, portus stationesque facta erant; ibi quidquid Græcorum industria elaboraverat divitiis Thracum rependebatur; ibique, si quos reges barbari bello ceperant, venales præstabant: adde quod ibidem horrea salaria hominibus mediterraneis paratam annonam habebant.

Nulli maritimæ urbi felicior quam Byzantio situs obtigerat: hæc enim urbs vinculum erat, quo Europa et Asia per mutuam commercium conjungebantur. Portu succincta, quo nec Athenarum, nec Corinthi portus præstantior, naves mittebat quæ Taurida, Istri ostia, gentes barbaras utramque fluminis ripam accolentes invisabant. Byzantium non merces solum adventitias, sed mores etiam importari facile crederis: ibi Thracum ebriositas cum Asiatica luxuria jungebatur. Æliani testimonio utar scribentis: « Byzantii, quoniam proclives et propensi sunt ad vinum, relictis suis ædibus et domibus, peregrinis eas mer-

cede locant et transmigrant in cauponas, ut fama est. Neque solum hæc, sed etiam uxores illis relinquunt. Itaque duorum criminum calumnia eodem facto sese implicant Byzantii, temulentiae et prostitutionis. Quoniam vero ebrietate vinoque diffluunt, delectantur tiliarum sono et tibiis maxime vacant. At tubæ fremitum primo auditu etiam non sustinent. Ex quibus liquet eos ab armis belloque gerere alienissimos animos. Propter hanc causam, Leonidas dux militaris, ipsorum in acerrima oppugnatione, quum hostes mœnia adorirentur, et illi, relictis excubiis, totos dies in consuetis diversoriis tererent, mandavit ut cauponæ ipsis in mœnia transferrentur. Quo sophismate sero tandem eis persuasit ut aciem ne deserent, quum prætextus et causa quamobrem abirent non esset. Hæc affirmat de ipsis Damon. His astipulari videtur Menander, quum dicit: « Vinolentos negotiatores facit Byzantium; totam noctem perpotat (1). »

Isti mercatores nautæque, qui ut corpore, ita animo vagantes, volucris spe a domo longius rapiabantur, nihil antiquius habebant quam ut in futura inquirerent. Byzantium igitur redundabat divinis, pharmacopolis, circulatoribus aliisque ejusdem notæ hominibus; tertiam partem sui quæstus publico ærario afferre jubebantur (2).

Quod de Byzantio, idem de plerisque maritimæ Thraciæ urbibus dicendum. Theopompus enim (3) Chalcidices incolas ut magnifice epulantes omnique

(1) Æliani, *Hist. var.* III, 14.

(2) Arist. *OEconom.* II, 3.

(3) Theopompi *Fragm.*

libidini deditos describit. Attamen, ut nativum Hel-
lados ingenium spurco barbarorum contactu adulte-
rabatur, ita novos quasi succos, unde revalesceret, ei
ministrabant coloniæ recentiores, quibus persæpe
delecti viri Græciæ lumina præerant.

Miltiadem viam aperuisse constat his ducibus, qui
multitudinis imperium reformidantes intra Thraciæ
colonos sedem sibi eligebant. Ibi auctoritatem regiam
adepti regio apparatu utebantur. Neque idcirco se
cives esse Athenienses obliviscebantur, nomine potius
quam re læti : adeo optimum quemque virum Græ-
carum plebecula civitatum invidiose lacescebat !

Pausanias, cujus illustrissimum est proelium apud
Plateas, aliquandiu Byzantii (qua ex urbe Persas
depulerat) commoratus est, ibique crudelis super-
bique satrapis mores præ se tulit. Domum revocatus
vix paruit, et mox Colonas, qui locus in agro Troadis
est, se contulit, non mores patrios solum, sed etiam
cultum vestitumque mutavit. Apparatu regio uteba-
batur, veste Medica : satellites Medi et Ægyptii
sequebantur : epulabatur more Persarum luxuriosius,
quam qui aderant perpeti possent.

Lysander, qui apud Ægos flumen classis Athe-
niensium potitus est, instituta moresque patrios
aversatus, cum in Thracia, tum in Asia Minore multa
superbe, crudeliter, luxuriose fecit. Paulo ante Clear-
chus, qui a Spartanis ut Byzantio opem ferret missus
fuerat, urbe expugnata, sibi custodiam a mercenariis
comparavit, opulentissimos cives trucidari jussit, ut
bona eorum diriperet. Domum revocatus non paruit :
legatos ad se missos ludibrio habuit : exercitum qui
tyrannum everteret mitti fuit necesse. Clearchus,

Byzantio relicto, cum copiis divitiisque suis Selymbriam se contulit, ibique non sine sudore devictus est. Mirum quam facile Spartani legibus Lycurgi et disciplina severa informati, simul atque natale solum reliquerant, morem antiquum dediscerent! Eorum virtus, ut ita dicam, umbratica erat; quam intra mœnia institutaque Spartæ adultam si alio transferre velles, ea marcesceret. Thucydides declarat, desinente bello Medico, Spartam non ad id adduci posse ut duces suos in Asiam Thraciamve mitteret, eamque vereri ne Pausaniæ vestigia premerent (1).

Præfecti Athenienses, quum tyrannidem vel principatum alicubi usurparent, nec crudeles, nec immodici erant. Miltiades, Chersoneso summa æquitate constituta, incolarum animos sibi devinxit et justitiæ fama floruit. Qualem in Thracia se præstiterit Alcibiades, non prætermittendum. Postquam in patriam restitutus iterum in suspicionem negligentiae et perfidiæ recidit, domum reverti noluit, confugit autem in arcem, quam in Thracia Chersoneso possidebat, quæque a Sesto non longe aberat, Pactyeque vocabatur; quod inimici vitio verterunt, quasi in patria vivere aut nollet, aut non sustineret. Quum in hoc castello se munivisset Alcibiades, ea facilitate, qua populorum consuetudinem, apud quos erat, imitabatur, ad mores Thracum se accommodare, nempe equitare, potare, agrum barbarorum populari, luxuriose vivere, milites suos seque divitiis augere summam laudem duxit. Duces Athenienses, qui post Alcibiadem floruerunt, hanc curam habuere, ut apud ex-

(1) Thucyd. I, 95.

ternos degerent, perfugiumque contra plebis mobilitatem et inconstantiam sibi compararent. Cornelii Nepotis pauca verba ad rem facientia transcribere mihi liceat : « Non libenter erat Chabrias ante oculos civium suorum, quod et vivebat laute et indulgebat sibi liberalius quam ut invidiam vulgi posset effugere. Est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, et libenter de iis detrahant, quos eminere videant altius, neque æquo animo pauperes alienam opulentium intueantur fortunam. Itaque Chabrias, quoad ei licebat, plurimum aberat. Neque vero solus ille aberat libenter Athenis, sed omnes fere principes fecerunt idem; quod tantum se ab invidia putabant abfuturos, quantum a conspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigæo (1). »

Thracia e Græcis coloniis Asiæ minoris nonnullos exsules eosdemque celeberrimos recepit. Aristagoras, Ioniis, quos ad rebellionem incitaverat, devictis, Edonios fines ingressus, Myrcinam occupavit, in eoque elaboravit, ut agri parte potitus aliquam regni speciem sibi conderet; rem haud prospere gessit, sociisque ad internecionem cæsis, ipse interiit. Anacreon Samo expulsus ob eandem rebellionem Abdera se contulit, ubi genio indulgens voluptatibusque reliquum vitæ spatium consumpsit.

Hæc exsulantium egregia caterva eas partes sibi sumpsisse videbatur, ut, quocumque vestigia converterent, quasi præceptores fierent et externas gentes

(1) Corn. Nep., *Vita Chabriz*.

humanitatem docerent. Inde recentior illa Græcia effloruit, quæ ut quidquid facetum et amabile habuerat antiquitas retinet, ita quadam barbarie inficitur.

Quatenus apud Græcos, qui Thraciam incolebant, artes et litteræ in honore exstiterint, disquirere haud abs re erit. Neminem fugit colonias Asiaticas maturius quam civitates, unde profectæ erant, ingeniorum proventu inclaruissæ : quippe quæ adjuvantur et amœnitate locorum, qua ad optimas artes animi impelli solent, et vicinitate magnorum imperiorum, quæ quamvis mox ruinam tractura, antiqui splendoris haud omnino oblita erant. Thracia non ea erat, quæ semina ingenii tam avide acciperet, acceptaque tam feliciter fovaret, aleret, augetet; nec tamen desunt auctores, qui et Thraciæ et sibi multum laudis in omni genere litterarum pepererint. Leo Peripateticus, qui Byzantii historiam vitamque Macedonis Philippi in septem libros partitam scripserat, Aristophanes, cui liber de conviviis ab Athenæo adjudicatur, Pytho orator, Parmeno poeta, Myro Homeri tragici filia vel mater, Andromachi, quem philologum nominabant, uxor, quæ carmina epica et elegos versus condiderat, denique Sotades philosophus (1) Byzantini erant. Abdera genuerunt Democritum, Protagoram, Nicænetum, qui inter epicos numeratur, Cardia Eumenem, qui ephemeridas, et Hieronymum, qui vitam Alexandri magni scripserat; Antiphanes poeta comicus natus erat Bergæ; tot et tam multis portentis ejus scripta scatebant, ut si quis ut menda-

(1) Suidas, V. Sotadas.

cissimus designaretur, eum βεργάζειν dicerent : Zoilus Homeromastix Amphipolitanus erat; Ehippus Olynthius de funeribus Ephestionis et Alexandri, incola quidam Olophyxi Chalcidicæ urbis nomine Herodotus de Nymphis et sacrificiis opus reliquerant : denique Aristoteles, quo post hominum memoriam nullus altiore et ampliore ingenio exstitit, patriam habuit Stagira. Nulla monumenta usque ad id tempus servata sunt, unde conjicere licet, quatenus Græcum ingenium barbariæ vicinitate corruptum sit. Aristotelica opera Thraciæ adjudicari non possunt. Vir ille admirabilis in scholis Athenarum ingenium excoluerat et informaverat. Ubi litteræ coluntur, ibi quoque vigent artes. Urbes Thraciæ, quæ scriptoribus et poetis florebant, opificibus et pictoribus caruisse non est verisimile. Quod si de ea re parum certus eris, Demosthenem excitabo referentem decretum, quo tres statuas in honorem populi Atheniensis erectas esse declaratur (1).

Ut oppida maritima ingenuis artibus et commercio florebant, ita reliqua regio moribus Græciæ sensim imbuebatur. Neque tamen antiquis institutis patroni et defensores defuerunt : gentes enim, quæ Hæmum et Rhodopen incolebant, colonos ægre ferentes, Græca oppida Byzantium præcipue et Chersonesum crebris incursionibus lacescebant. Chersonenses Athenas vel Spartam in auxilium vocabant (2); quippe non ii erant, qui vim barbarorum soli repellerent. Pericles murum reficiendum curavit quem inter utrumque mare ad Isthmum claudendum Miltiades ædificave-

(1) Demosth., *pro Coron.*, § 91.

(2) Polyb. IV, 45.

rat; post aliquod tempus, Spartanus Dercyllidas, poscentibus incolis, ex Asia advolavit; alterumque murum opera suorum militum extruxit. Denique Philippus, ut gentes indomitas coerceret, e regione Hæmi et Rhodopes duo castella erigi jussit, Cabylam et Philippopolim.

Apud Thraces, qui minore intervallo a Græcis urbibus distabant, mutatio morum facilior fuit. Græci homines regum barbarorum aulici adulatorumque evadebant. Versuti, callidique eandem personam sustinebant (1), quam postea apud reges Francorum Gallo-Romani; munere interpretum fungebantur vel legatorum: divitias sibi comparabant, sed linguam et artes Græciæ barbaros docebant; reges Thraciæ, seduli Græcorum imitatores, non disciplinam vel scientias mutuabantur, sed luxuriam voluptatesque discebant: mercede milites conducebant, sed non operam dabant ut exercitum meliorem redderent aut mercaturam faciliorem. Græcorum institutis inventisque eos delectari, non adjuvari facile dixeris. Theopompus Cotym unum omnium regum Thraciæ voluptatibus maxime deditum fuisse narrat; etenim, quum imperium peragraret, ubicumque proceris arboribus locus consitus occurrebat, lymphaque perenni irrigatus, ibi aulam ad epulandum exstrui jubebat, atque cum suis præfectis, quum per eadem loca iter faceret, sacrificiis peractis, genio indulgebat (2). Hæc quidem mollities barbaris moribus mixta Græcos adverterat; Anaxandrides

(1) Xenoph. Anab. VII, 2.

(2) Theopomp. Fragm.

enim poeta comicus in Protesilao iis verbis irridet convivium nuptiarum Iphicratis, quum regis Thraciæ Cotys filiam uxorem duxit : A. Hic mihi jam narra quam splendida cœna vos acceperit ? — B. Nihil simile in ea fuit Iphicratis cœnæ, quam in Thracia exhibuit. — A. Rumor quidem est laute, eleganter et munde celebratam illic fuisse : forum stratum purpureis tapetibus, Ursus ad usque exortum, cœnasse viros bubulcos aiunt squalida coma, infinitos numero lebetes æneos fuisse, cisternam majores in quibus lecti possent locari duodecim ; Cotym ipsum accinctum jusculum tulisse in aureo congio, calicesque prægustantem ante compototares inebriatum fuisse ; ipsis Antigenidam tibias inflasse, Argam cecinisse, citharam pulsasse Acharnensem Cephisodotum, carmina Spartam agri spatiosi dominam cantasse ; septem portis patentes Thebas tunc eo migrasse ; dotem vero accepisse duos flavorum equorum greges, clypeum aureum, phialam, lepastam, nivi bibendæ guttum, ollam milii, bulborum torquem cubitorum duodecim, polypodum hecatomben ; hæc quidem ita fecisse aiunt in Thracia Cotym Iphicratis nuptiis (1). » In summa, Thraces ad humaniorem vitam se converterunt, instituta vero non mutaverunt.

(1) Athenæus, IV, 180.


EPILOGUS.

Ex his intelligitur eum esse Thraciæ maritimæ situm, ut plurimum ad Græciæ salutem conferret, quum eam defenderet ab hujus regionis populis aut ab Asiaticis. Jam metallis, frugibus, navali materia ita Thracia abundabat, ut ea carere non possent urbes Græciæ maritimæ, quæ ad artificia atque etiam ad victum necessaria suppeditaret. Quamobrem tot in ea ora colonias condiderunt.

Eæ autem coloniæ conditoribus tam utiles Thraciæ gravissimum momentum addiderunt in Græciæ rebus; nam coloniis suis Athenæ debuerunt ut mari potirentur, et Græcis urbibus imperarent, quanquam quæ pars multum ad potentiam conferebat, eadem, quum non satis arcte cum urbe conjuncta esset, erat periculosissima. Nam Peloponnesio bello Sparta æmulam nunquam vicisset, frustra que consumptis viribus manus dedisset, nisi tentavisset Thracium Athenarum imperium. Philippus autem, coloniis Thraciis occupatis, majora adeptus est; egregium ejus ingenium et mala, quibus Græcia laborabat, multum quidem contulerunt ad prosperam fortunam: at Thracia maritima potitus, ad incitas redegit Athenas, quæ solæ Græcarum civitatum eum sustinerent, classem compa-

ravit, qua fretus rebus parvarum urbium se immisceret, maximum exercitum aluit, quo imperium adipisceretur.

Denique coloniæ Thraciæ, quamvis non longe a conditoribus abessent, iisque essent conjunctæ per commercia, et rerum publicarum momenta, non eum tamen locum in litteris et artibus obtinuerunt, quem Græci Asiæ minoris : attamen in litteris aliquantum potuerunt, finitimasque gentes humanitate aliqua imbuerunt.



Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VII kal. nov. ann.
M DCCC LXI,


Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur.

le V.-Recteur

ARTAUD.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Large block of faint, illegible text in the middle of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.